





Ludewig

- 1) De iur. Rom: et Germ  
in Donationibus
- 2) — In consensu conubiali extra patrem
- 3) — In venatione eiusq. legali.
- 4) — In ferarum furto.

J. H. Boehmer

- 5) De Administratoribus bonorum Eccl.
- 6) De Dominio litis
- 7) De cursu prescriptionis contra minores  
suspendit
- 8) De restitutione in integrum contra spoliata  
fidei minorum
- 9) De crimine suspecti
- 10) De Extorsione poenis  
Nichter: Gund
- 11) De transmissione actorum in iudicibus  
penis permisso eiusq. repetitione
- 12) De denunciacione hereditatum filiarum  
illustrium  
Carol Henr Heeger

- 13) De Vaporiis Xera non  
Schröter
- 14) De Laminis earum processu criminali  
Gruber
- 15) De Cultura Historiae Universalis  
Georgii Schubarti

- 16) Henricus Henricus Wimp exemplum  
urbatae respubl.
- 17) Indiventa vbra San Hans Jovis in Pöfley

Wd. 67.



38 Instrumentum pacis inter Confoederatos  
Regni Poloni: status

39 Ann. Christophori Stum

40 Hollmann


de

Harmonia inter animam et corpus prae  
39) Stabilitate dig: prior et posterior

21

Schlittius







DISSERTATIO PHILOSOPHICA

PRIOR

DE

# HARMONIA

INTER

ANIMAM ET CORPVS  
PRAESTABILITA

*EX MENTE ILLUSTR.*

GODOFR. GVILIEL. LEIBNITII

ET CELEB.

CHRIST. WOLFFII

*QVAM*

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM

IN ILLUSTR.

ACADEMIA VITEMBERGENSI

ORDINE

PRO LOCO

INTER EIVSDEM ORDINIS ASSESSORES VINDICANDO

*A. O. R. MDCCXXIV. DIE XXV. MAII*

IN AVDITORIO MAJORI

DEFENDENT

PRAESES

M. SAM. CHRIST. HOLLMANN

ORDIN. PHILOS. ASSESS.

ET

RESPONDENS

JEREMIAS SCHOLZE

DEVTMANSDORP. SILES. S.S. THEOL. STVD.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.

25









DE  
HARMONIA INTER ANIMAM  
ET CORPVS PRAESTABILITA

PROOEMIUM.



uam promisi nuper, L. B. in *Dissert. de anima sibi ipsi ignota poster. sect. 3. §. II. p. 20.* dissertationem, de *harmonia inter animam & corpus praestabilita*, impraesentiarum exhibere constitui. Opus aggredior, his nostris temporibus inprimis in controversiam vocatum, videoque probe, eo magis propterea cauto fore opus, ut ne aliqua ex parte vel injuriam dissentienti inferam, vel, autoritatibus aliorum seductus, in ipsam veritatem iniquus evadam. Id equidem ex eo statim tempore, quo me his controversiis dare, novaque haec philosophemata investigare ceppi, simul cognovi, non inesse illis id periculi, quod alii iisdem, non sine aliquo animorum motu, tribuunt & jam aliquamdiu tribuerunt; omni tamen fundamento destituta mihi semper haec, de harmonia inter animam & corpus praestabilita, sententia visa fuit. Atque haec ipsa etiam fuit causa, quod durioribus paululum, loco jam adducto, verbis adversus eandem usus sum, primo scilicet, quod fieri in rebus recens controversis solet, affectu rem aggressus. Putabam enim, meo quodam id me facere jure posse, ut hypothesin, meo judicio, ne nulla quidem probabilitate praedicam, inter fabulas referrem, atque *fabularum lepidissimarum* nomine compellarem. Propter *monadologiam* tamen Leibnicianam, utpote quam toti systemati, etiam quatenus a celeb. Wolfio defenditur, fundamenti loco substrui, tum temporis adhuc putabam, verba illa mihi excidisse atque de toto systemate dicta esse, dissimulare non possum. Video autem quoniam

A

niam



niam impræsentiarum data opera hæc hypothesi pertractanda est, duriora hæc dissentientibus videri, eorundemque a me animum alienare posse, quod tamen non tam inveniendæ veritati, quam alendæ liti, convenientius esse solet. Quandoquidem autem soli veritati, non affectibus, non autoritatibus, non rixis, hac in dissertatione locum relinquere constitui, nolo vel lectoris animum durioribus ejusmodi flosculis præoccupari, odioque adversus hypothesin mere philosophicam, quæque, quod ostendam, nihil periculi involvit, inflari, vel ipsos etiam dissentientes ad iram & indignationem provocari; sed, quoniam philosophica mihi conscribenda dissertatio, jussu Facultatis philosophicæ, impræsentiarum est, harmoniam hanc ea, qua decet, modestia pertractandam mihi sumam, eamque, in quoniam consistat, quibus nitari fundamentis, tandem etiam, quid mihi in ea adhuc hypothesi desiderari videatur, paucis exponam. Ex illustribus autem GODOFR. GVILIELMI LEIBNITII atque celeb. CHRISTIANI WOLFFII potissimum mente omnia, adductis verbis eorundem propriis, tradam, quidque mihi in contrarium occurrit monendum, placide afferam. Est enim, quod jam monui, res philosophici argumenti, periculo quæ omni vacat: omni ergo procul rancore omnique posthabita rixa, si quando dissentiendum in ejusmodi rebus est, dissentire oportet, eaque simul modestia, quæ & dissentientis persona, & asseverantis digna est autoritate atque fama. Spero itaque, non ægre laturus esse, quotquot cum illustribus LEIBNITIO & celeb. WOLFFIO facient, me adversus eorundem sententiam assurgere. Legi enim objectiones, adversus hoc systema, *Bailii, Foucherii, Toutnemini, Lamii, Newtoni, Clarkii, Stablii*, aliorum; legi & responsiones ipsius partim *Leibnitii*, partim *cl. Bussingeri*, quas nuper in *commentatione hypothetica de harmonia animi & corporis humani, maxime præstabilita*, ad eandem reposuit: sed fateor, nec in oppositionibus clarissimorum virorum, nec in responsionibus hinc Leibnitianis, hinc Bussingerianis, mihi esse satis omni ex parte factum. Accedit quod vir celeb. DN. VVOLFFIVS in *medit. suis metaphysicis* illisque in primis locis, ubi in ipso hoc systemate demonstrando & probando versatur, magnos in probando reliquerit, quod viri celeb. pace dixerim, hiatus, magnumque adeo aperuerit dissentienti & oppugnandi, qua hoc systema, campum. Adversus  
 hos



hos itaque viros hic potissimum pugnandum fore facile quilibet videt: ita tamen in inquirendis eorum sententiis verfabor, ut neutri, quod alterutrius solum est, simul tribuam, iusto ceterum ordine in singulorum placita inquisiturus. Publice tamen hic testor, nolle me has qualescunque positiones refutationis loco haberi, utpote quam tantos adversus viros adornare non audeo, nisi refutationem dicere velis, ubi argumenta non plane nullius momenti aliquam adversus sententiam adducuntur, dubiamque eidem palmam reddunt; speciminis tamen loco hæc esse possunt, nondum omnia adeo explorata jam veritatis in harmoniæ præst. systemate, uti quidem viris clarissimis fuit visum, esse, multisque adhuc dubiis locum relinqui. Duabus autem dissertationibus negotium hoc conficiam, quarum *prior* mentem celeb. virorum repræsentabit, atque in fundamenta rationesque eorum inquiret: *posterior* vero argumenta adversus eorum sententiam adducet, & systema influxus ab objectionibus eorundem liberabit. Faxit DEVS feliciter!

## §. I.

**D**isceptationum de anima nondum, ne hoc quidem tem-  
 pore, finem esse factum, eo magis admiratione dignum est, quod nullæ, jure, de eadem esse debebant, quandoquidem nemo nostrum est, qui anima destituatur, nemo etiam, qui non, reliquis licet in dubium vocatis omnibus, de sua saltem anima, quid in esse, quid in operari suo valeat, certus esse deberet. De anima semper fuit disputatum: de commercio autem animæ & corporis controversia est recentior. Omni autem fere tempore contrarium his omnibus evenisse constat, atque, quando de omnibus fere reliquis inter philosophos convenit, de hoc inter eosdem argumento aliqua controversia remanet. De modo tamen, quo anima corpus suum afficiat, quoque ab eodem iterum afficiatur, ante RENATI fere CARTESII tempora nulla exorta controversia fuit, nisi quod ex scholasticis nonnulli, ab Aristotelis sententia alieni, causarum occasionalium systemati quodam quasi modo præluserunt. Ad id enim usque tempus non tam Aristotelis, quam communem generis humani, sententiam, qua anima corpus regere, & versa vice nonnulla a corpore pati & recipere, ipsa, quod videtur, adprobante experientia, dicitur ipsi quoque fuerunt amplexi philosophi. Nec enim, quaqua patet, historia philosophica vel levissima nobis vestigia alienæ



alienæ cujusdam ab hac sententia philosophorum mentis exploranda hætenus dedit, sed, quotquot fuerunt, qui subtilia ceteroquin multa, multa & sublesta de natura animæ philosophati sæpius sunt, operationem tamen animæ, cujuscunque etiam naturæ atque essentiæ eandem dicerent, in corpus suum admiserunt, multumque facerent ei negotii, qui, vel levissimam saltem ea de re dubitationem philosopho cuidam enatam aliquando esse, probatum dare vellet. Circa Cartesii itaque tempora, si antea dictos ex scholasticis paucos exceperis, primum veritas hæc fuit in dubium vocata, tribuente hic Cartesio, quæ alias hinc animæ, hinc corpori, adscribi solent, omnia immediate DEO, animæque cum corpore pro *occasionalibus* solummodo habitis rebus, ad quarum præsentiam ipse omnia immediate operaretur DEVS. Hoc *causarum occasionalium*, a Cartesio inventum, systema multi ex omni philosophorum, imo & theologorum, ordine fuerunt amplexi; inprimis autem idem defenderunt, *Jacobus Gussenius, Ludovicus de la Forge, Malebranche, Bernardus Connor, Christoph. Wittichius*, inprimis autem *Jo. Christoph. Sturm* alique, de quibus videtis *disert. de anima sibi ignota scilicet. 2.* integra, ubi quoniam fusius de hoc systemate fuit actum, nolo prolixius hoc in loco eadem repetere. Hæc autem Cartesii sententia quanquam se multis, quibus commune influxus systema non erat ad palatum, probaverat, aliam tamen adhuc viam ingressus recentissime est illustr. **GODOFREDVS GUIL. LEIBNITIVS**, pro eo explicando modo, quo anima cum corpore suis perpetuo in operationibus & sensationibus consentiat, quoque corpus ab anima moveatur atque regatur. Facile autem est, cuicunque modo de influxus & causarum occasionalium systemate constat, ut assequatur, quo novum hoc Leibnitii systema tendat, quidve habeat in recessu. Quoniam enim systema influxus, quo anima immediate in corpus, & corpus immediate in animam, physico, quod dicunt, influxu agunt; & causarum occasionalium, quo DEVS veluti internuncii loco esse, & occasione motuum in organis corporis sensoriis in animam, occasione desideriorum autem atque volitionum animæ in corpus, operari dicitur, negat, adeoque ex ejus sententia nec partes hominis essentielles immediate, nec per mediatorem, aut interpretem quasi intermedium, in se invicem agunt, suis-  
que



que tamen in operationibus ita perpetuo conspirant, ut ad certos motus corporis certæ sequantur in anima perceptiones, atque, ad certas animæ volitiones, certi in corpore motus, nihil supererat aliud, quam ut ad *harmoniam* se reciperet inter animam & corpus *praestabilitam*, qua utraque pars sua separatim agat, altera tamen cum altera, non aliter ac duo horologia, qua actionis & tempus, & objectum, accurate conveniret.

## §. II.

Hac autem in praestabilita harmonia duo occurrunt vocacula, probe ab invicem distingvenda, quandoquidem prius systemati Leibnitiano cum dictis reliquis duobus commune, posterius autem proprium eidem est, & a reliquis idem distingvit. Dari enim inter animam & corpus *harmoniam*, vi cujus operationes animæ cum motibus corporis, motusque corporis cum sensationibus animæ perpetuo consentiant convenientque exacte, nec, qui influxus, nec, qui Cartesianum defendit systema, negare potest. Id enim, quod si vel maxime cetera omnia fallerent, ipsa experientia edocti novimus, atque conscii nobis omnium evidentissime sumus, respondere sibi invicem animi decreta & corporis motus, & vicissim factas in organis sensorii mutationes & certas animi perceptiones, quocumque tandem modo hanc consensionem inter isthaec omnia produci statuamus. Ubique autem constans ejusmodi inter motus corporis & animæ operationes consensio datur, ibi datur inter animam & corpus harmonia. Quoniam autem & influxum alterius partis in alteram physicum, & Dei, aut alius causæ intermediæ, interventum Leibnitius negat, animamque, æque ac corpus, separatim sua, avtomatorum instar, agere statuit, citra unius in alteram influxum, aut communicationem communionemque quamcunque, opus habuit, quo consensionem & harmoniam utriusque partis explicare posset, ad superioris cujusdam semel factam partium harum conciliationem recurrere, adeoque *praestabitionem* quandam, inter operationes animæ & corporis factam, admittere, a qua hæc *harmonia, praestabilita*, fuit dicta. Quibus observatis ratio jam reddi facile poterit, quæ causa est. VULFINGERO fuerit, cur hypotheticam suam commentationem de *harmonia animi & corporis humani*, MAXIME *praestabilita* inscripserit, siquidem non quævis harmonia animæ & corporis Leibnitiana.



tianum systema constituit, sed ea solum, quæ ex ejus mente est præstabilita. Atque hæc etiam harmonia præstabilita sola adhuc erat, quæ si nova de modo communionis animæ cum corpore sententia fuerat afferenda, afferri adhuc poterat. Fatetur id celeb. FONTENELLIVS in *vita Leibnitii*, quæ, ex gallico idiomate in germanicum translata, annexa jam extat ejusdem Leibnitii *essais de Theodicée* edit. germ. p. 56. Postquam enim brevissimis ibidem hujus ipsius systematis fecerat mentionem, idemque paucis cum Cartesiano contenderat, pergit: *Wenn beyde, scil. & Cartesianum & Leibnitianum, solten wiederleget werden, so folgte nothwendig zu grossen Verdruss der philosophen, daß sie hinsübro über der Vereinigung der Seelen und des Leibes sich zu martern aufhören müßten. Cartesius und der Herr von Leibnitz lehren Ihnen gewiß, daß dieses Geheimniß nicht könte gefunden werden.* Quibus ultimis verbis vir cl. quidem nonnihil auctoritati tribuere videtur, rationibus tamen ipsa ejus sententia non destituitur. Dare illas voluit clar. BULFINGERSVS in sua commentatione jam adducta, atque a priori demonstrare, non posse quartum præter hæc tria systemata dari; satis etiam philosophice rem pertractare aggreditur §. 3. seqq. p. 10. seqq. rationibus tamen longius paululum petitis, & in re manifesta aliquantum obscurioribus. Mihi saltem hic non videtur esse multis ambagibus opus. Diversissimæ enim duæ substantiæ, si in operationibus suis conspirare, secum debent, aut altera alteram dirigat moveatque, aut communis inter utramque mediator intercedat, aut utraque suum agat, in perpetua tamen cum altera consensione, necesse est. Quoniam itaque primum, quod *influxum*, & secundum, quod *causarum occasionalium* systema, substrata in materia, gignit, Leibnitius rejecit, tertium modo remansit, ex quo *harmonia ipsi præstabilita* etiam fuit enata.

## §. III.

Præcipua  
scripta, in  
quibus tra-  
ditur, re-  
cententur.

Publici juris novam suam hanc sententiam fecit vir illu-  
stris primum omnium in *Journ. des Savans A. c 1710 c. XCV. die*  
*XXVII. Jun. & IV. Jul.* postquam, quod ipse ibidem fatetur, jam  
ultra decennium fere de eodem cogitaverat, atque occasione sy-  
stematis Cartesiani in hoc suum novum inciderat. Post id tem-  
pus sæpius idem data occasione, viva & scripta voce, inculcavit,  
ab objectionibus etiam nonnullorum vindicavit. Ut a pri-  
mis autem veluti fundamentis idem repeteret, conscripsit idio-  
mate



mate gallico tractatum de *monadibus*, quam ejus *monadologiam*, ex gallica in nostram linguam translata, edidit HENRICVS KOEHLERVS, atque in hoc omnia veluti ab ovo, quod dicere solent, profequi sibi videtur. Postquam autem, praeter nonnullos in Gallia eruditos, PETRVS etiam BAILIVS in *dictionario suo historico-critico* artic. *Rorarius* adversus novum hoc Leibnitii systema objectiones nonnullas formaverat, semel atque iterum Leibnitius respondit, iisque in responsionibus pluribus adhuc mentem suam illustravit. Ultimas ad objectiones Bailianas Leibnitii responsiones, gallice scriptas, dictus Koehlerus germanicae monadologiae editioni, itidem germanice redditas, annexuit. Multa certe hic occurrunt, ex quibus vera Leibnitii mens satis superque elucet, siquidem exceptionibus atque objectionibus & major rei ipsi lux, si modeste fiant, affunditur, & mens auctoris magis detegitur. Non in hac autem solum cum Bailio, sed in illa etiam cum SAMVELE CLARCKIO, theologo anglo, controversia, uberius sententiam suam exprimit. Quanquam enim de hoc speciatim philosophiae capite *commercium* illud *epistolicum* hos inter duumviros non instituebatur, sed, jussu serenissimae Walliae Principis, de nonnullis philosophiae Newtonianae principiis; ad hanc tamen etiam hypothesin tandem descendebatur, sparsimque multa huc facientia Leibnitius proponit. Inprimis autem huc etiam spectat ejus *essais de Theodicee*, in eoque scripto tum *prafat.* p. 33. edit. germ. seqq. tum ipse liber §. 61. seqq. Priori loco nonnulla, quae ad historiam systematis spectant; posteriori autem pauca, quae ad rem ipsam, assert. Atque haec quidem maximam partem loca illa sunt, in quibus suam, suo de systemate, mentem Leibnitius proposuit. Quanquam autem ab eruditorum plurimis ingeniosum sapientius appellatur, eoque etiam nomine a multis collaudatur, pauci tamen, imo paucissimi, haecenus fuerunt, qui suo idem calculo fuerint dignati. Celeberrimus tamen, olim in Halensi, nunc in Marpurgensi, academia mathematicum professor, DN. CHRIST. WOLFFIUS, vir supra laudes meas positus, systema hoc Leibnitianum fuit amplexus. Non nude tamen vestigia Leibnitiana vir celeb. fuit secutus, sed pluribus totum systema explicavit, observationibus novis illustravit, a difficultatibus, quibus premebatur, liberavit, aut, ut accuratius loquar, liberare tentavit, adeoque venustam eidem induit faciem, ut non asse-



affectæ, sed coadjutoris, mereatur nomen, ipsumque hoc harmoniæ præstabilitæ systema non *Leibnitianum* nude, sed *Leibnitiano-Wolffianum*, dici mereatur. Proposuit mentem suam vir celeb. in meditationibus suis metaphysicis, quibus titulum *der vernünftigen Gedancken von Gott, der Welt und der Seele des Menschen*, fecit, imprimis *cap. V. §. 765. seqq.* Omnia hic ea perspicuitate traduntur, ut quid totum hoc systema habeat in recessu, vel ex solis hisce viri celeb. §§. commode addisci, intra breve temporis spatium, queat. His tandem accedit cl. GEORG. BERNH. WOLFFINGERVUS, qui adductam jam aliquoties *commentationem hypobeticam de harmonia animi & corporis humani maxime præstabilita* nuper a. 1723. Francofurti & Lipsiæ edidit, atque qui solus fere, quantum constat, est, qui ex eruditis publico, hoc systema, præter viros jam nominatos, dignatus est assensu, publicamque ejus defensionem in se suscepit. Multa hic affert vir doctissimus, quæ ad rei meliorem intellectum faciunt, ubicunque quis ex Leibnitii atque Wolffii scriptis rei summam prius didicerit. Quoniam enim maximam commentationis suæ partem virorum doctorum, quorum jam in præmio fuit mentio facta, adversus hoc systema diluendis objectionibus vir doctissimus dedit, brevioris modo ipsius systematis *sect. 5. §. 86. seqq. p. 94. seqq.* præmittit explicationem. Quoniam etiam ex primis fontibus, monadologia scil. Leibnitiana, aliisque ejusmodi principiis Leibnitianis, omnia repetere allaborat, obscurior paululum ejus evasit tractatio, ex qua adeo, nisi ipsum Leibnitium atque Wolffium prius quis legerit, non facile, in quo vera hujus systematis indoles consistat, assequatur, id quod tamen citra præjudicium viri doctissimi dixerim.

## §. IV.

Nondum  
 in omni-  
 bus tamen  
 celeb.  
 Wolffio  
 cum Leib-  
 nitio con-  
 venit.

Atque hi quidem fontes sunt, ex quibus omnis est de hoc harmoniæ præstabilitæ systemate sententia & addiscenda, & ferenda. Quæ ipsa quo ferri jam eo, quo decet modo, queat, ipsa virorum celeberrimorum exinde prius erit expromenda sententia, ne larvas aggrediamur, & cum umbris, id quod multis in controversiis recens motis evenire solet, pugnemus. Quæ enim hætenus in superioribus §§. dicta sunt, nominis modo causa fuerunt allata, ut, quid harmoniæ præstabilitæ sibi vocabulum velit, paucis constaret, res ipsa autem jam ex virorum doctissimorum scriptis erit eru-



eruenta. Quandoquidem autem illustr. Leibnitius nonnullas hoc ipso in argumento fover hypothesef, quas ipse celeb. Wolffius nondum admifit, veritatis autem intereft, ut ne quid fingatur, aut invito cuidam obrudatur viro, quod idem ille profuo non agnofcit; opus jam erit, ut illa, in quibus utrique celeb. duumvirorum convenit, follicite diftinguantur ab illis, quæ alterutri eorundem folummodo probata, ab altero autem nondum eadem fiducia afferta funt. Notiffima illa de *monadibus* doctrina Leibnitii eft, ad quam hoc ipfo loco digitum intendo. Quamquam enim ex parte eandem celeb. Wolffius amplexus eft, in quantum ad explicandum animæ cum corpore commercium facit; omni tamen ex parte fuam eandem nondum fecit, id quod ex locis inferius adducendis conftabit, adeoque, quicquid de eadem hac in differtatione monebitur, Leibnitium folummodo, non autem celeb. Wolffium, tangit. Quoniam autem uterque virorum celeb. in eo, quod caput rei eft, quodque ad explicandam animæ & corporis præftabilitam harmoniam modocunque fpectat, confentiunt, ea tamen, quæ Leibnitio qua monadologiam propria funt, prætermitti nequeunt; ita erat partiendus labor, ut *monadologia* Leibnitiana prius præmittatur, atque huic demum ipfum de *harmonia præftabilita* argumentum fubjungatur. In illa folum allegabo Leibnitium, & celeb. Wolffii §§. qua fimplicium naturam explicat, ad fubfequens argumentum differam: in hoc autem argumento celeb. potiffimum fequar Wolffium, tum, quod ille pofitiones Leibnitianas majori luce affundit, tum etiam, quod ab objectionibus, adverfus Leibnitium factis, idem vindicare, fuppreffa licet diffentientium & argumentorum explicita mentione, annititur. Alium enim in ejusmodi argumento, ubi qua nonnulla conveniunt, qua alia diffentiunt, fententiæ alicujus auctores, hic fervari non poffe ordinem, facile deprehendo, nifi ima fummis mifcere, eaque, quæ alterutri folum conveniunt, omnibus ex æquo tribuere, ipfa veritate invita, velim. Injultum enim, imo impium & fceleftum, effe puto, longe diverfa ceteroquin fentientes, fi in aliqua confenferint thefi, in unam eosdem conjicere mafam, omnesque illos omnibus imputare errores, quos alter folummodo eorum, qui cum reliquis aliquo in tertio convenit, proprios habet, folusque, exclufis ceteris, defendit. Veritatis enim intereffe, intereffe & pacis ipfius,



judico, si termini controversiarum ipsorumque differentiarum probe definiantur, ne alter cum altero confundatur, omnibusque, quod unius est, præter jus & fas tribuatur. Evitari multæ controversiæ omni in litterarum genere, quin & exortæ jam componi, possent, si sola hæc, levioris licet momenti observatio, ipsa in praxi, studiose attenderetur. Ego certe tota hac in tractatione dabo operam, ut ne leges æquitatis & veritatis, ex intemptivo damnandi & contradicendi pruritu, migrem.

## §. V.

Quid per  
monades  
fitas Leib-  
nitius in-  
telligat,

Sed aliena hæc forsitan a scopo nostro videri poterant, nisi propter docendi methodum ordinemque a nobis servandum monenda hæcce fuissent. Ipsa ergo jam aggredienda est Leibnitii monadologia, sententiaque viri illustris, ipsius exinde adductis verbis, probanda. Negare autem non possum, nunquam ejusmodi me a tanto Leibnitii ingenio expectasse opus; adeo parum est, quod non meras fere fabulas lusisque ingenii sapiat, & tamen sibi omnia demonstrasse vir illustris videtur, imo, tantopere sibi hoc suo invento placuit, ut aliquando ad ipsum celeb. Dn. Wolffium fuerit confessus, si tempus sibi esset, velle se suam de monadibus doctrinam ea claritate demonstrare, ut demonstrationis geometricæ specimen in rebus, ad mathesin non pertinentibus, esse queat. Operæ itaque pretium erit, scire, quid sibi illa de monadibus doctrina velit, cui tantum, ab ipsis dudum exteris philosophis aliquo in pretio habitum, ingenium tantopere confidit. Quid *monas* sit, illis, qui prima modo græcæ litteraturæ rudimenta norunt, ignotum esse nequit. A *μόνος*, quod facile constat, descendit, atque *grammaticæ* unitatem, *logice* id, cui simile in rerum natura non datur, sæpius notat. Unde *species monadica* illæ jam olim dicebantur in physica substantiæ, quarum plura quidem individua dari non repugnat, plura tamen actu non dantur, adeo, ut tota species unico modo individuo representetur, cujusmodi monadica species Aristotelicis olim solæ erat, quæ tamen sententia, postquam a Cartesianis stellæ omnes fixæ pro totidem solibus, nostro simillimis, haberi cœperunt, jam ex aliquo tempore fere expiravit. Sed hæc generalliora solummodo sunt, nec ad ipsarum monadum Leibnitianarum explicandam naturam satis omni ex parte faciunt. Quod si ergo intelligere volumus, quid illæ sint, audiendus ipse vir illustris



stris erit. Ita autem ille *monadol.* §. 1. edit. germ. *Die Monaden sind nichts als einfache Substanzen, woraus die zusammengesetzten Dinge, oder die composita, bestehen.* Quid autem per substantias simplices intelligat, ipse immediate subjicit: *unter dem Worte, einfach, versteht man dasjenige, welches keine Theile hat.* De monadibus autem in specie §. 3. pergit: *Diese Monaden sind die wahrhaftigen atomi der Natur und, mit einem Worte, die Elemente derer Dinge.* Monades itaque viro celeb. sunt substantiæ simplices, omniumque partium expertes, imo ipsa naturæ elementa §. 3. ex quibus composita constant §. 1. atque adeo simplices sunt, ut nullis gaudeant partibus. Ideo §. 3. vir illustr. inquit: *wo nun keine Theile vorhanden sind, daselbst kan auch weder eine Ausdehnung in die Länge, Breite und Tiefe, noch eine Figur, noch eine Zertheilung möglich seyn.* Atque eatenus monadum vocabulum grammatice accipitur pro unitate, quod in atomis non plures una dantur partes. Sed alia adhuc causa viro illustri est, quare has substantias simplices monades appellet, ejusque rei rationem reddit §. 9. ubi, *Es giebt niemahlen, inquit, in der Natur zwey Dinge, deren eines vollkommen so beschaffen wäre wie das andere, und alwo es nicht möglich wäre einen innerlichen Unterscheid, oder einen solchen, welcher sich auf einen innerlichen Vorzug oder Herrschafft gründet, zu finden, conf. §. 21. ubi rationem simul hujus sententiæ reddit, quam tamen insufficientem putarim, & §. 26. ubi philosophos errasse scribit, quando res, solo numero a se diversas, statuerunt.* Quæ sententia quanquam paradoxa multis, imo falsa nonnullis, videatur; mihi tamen extra dubitationem posita est, quod non facile nec inter fluida, nec inter solida corpora, invenire duo licet, in quibus, ne qua minimas quidem & subtilissimas, ex quibus constant, partes, discrimen aliquod invenire liceat. Hoc ergo argumento rationem appellationis vir illustris reddit, quare scilicet elementa, atomos, substantiasque suas simplices monades appellaverit; atque eatenus appellatio hæc logica est, & cum illis convenit, quæ modo brevibus de monadibus in genere diximus. Possent autem vel a sola simplicitate & deficiente partium multitudine monades appellari, quæ sententia & cl. videtur esse BVLFFINGERI, qui *commentation. suæ hypoth. p. 97. seq. substantias simplices ob simplicitatem suam unitates dici, aut monades,* scribit. Illud autem de altera sententia adhuc, adeoque & de adductis Leibnitii §§.



solicite notandum, quod, quanquam de compositis concedi facile queat, non dari in iisdem duo sibi omni ex parte simillima, siquidem in minimis sæpius discrimen aliquod esse potest, imo actu ipso est, quandoquidem illa jam non amplius sunt eadem, quando vel minima solum alterius superficiæ aut poris inhaeret atomus, quæ in altero non invenitur; de simplicibus tamen id concedi æque facile non posse per se patet, siquidem facillimum est, ut inter substantias, quæ ne minimis quidem partibus gaudent, duæ, tres pluresque occurrant, sibi simillimæ, imo facilius concipere licet, quomodo ex ejusmodi simplicissimis substantiis similes sibi plurimæ, quam a se ipsis diversæ, cum nullis partibus gaudeant, existant. Male ergo hoc a viro illustri supponitur & conclusionibus, exinde formandis, subternitur. Sed ejusmodi plura in reliquis de monadibus thesibus adhuc sæpius occurrent. Quodsi autem jam adductos ex monadologia §§. in summam colligimus, monades sunt substantiæ simplices, ex quibus compositæ constant, nullas etiam habent partes, §. 1. non sunt extensæ in longum latum & profundum, nulla sunt figura præditæ, non sunt divisibiles §. 3. sunt atomi naturæ, imo ipsa rerum elementa, eod. §.

## §. VI.

Dari monades, accepto pro atomis veri nominis vocabulo, demonstratur.

Hic possem, si vellem, prolixissimam instituere disceptationem, num ejusmodi substantiæ dentur, siquidem me non fugit, acerrime inter philosophos, speciatim physicos recentiores, pugnari, ubi de materiæ divisibilitate agitur, num illa in infinitum sit divisibilis, an vero subsistendum sit in atomis quibusdam, quæ nulla, ne divina quidem potentia, dividi ulterius, licet annihilari, queant, inprimis cum vir illustris has suas monades nullo alio argumento prober, quam quando §. 2. scribit: *Es müssen dergleichen Substanzen seyn, weil composita vorhanden sind: denn das zusammengesetzte ist nichts anders, als eine Menge oder ein aggregat von einfachen Substanzen.* Sed negare non possum, me ipsum illi sententiæ accedere, quæ atomos in natura indivisibiles, nullisque ex partibus constantes, admittit, & si vel maxime non accederem, hoc tamen loco, ubi alia pertractanda sunt, non nisi inanes futuri essent ambages, si huic controversiæ locum hic facere vellem. Subtilis quidem est controversia, nec adeo præsentissimæ utilitatis, a maximis tamen fere ingeniis semper tractata. Quanquam



quam autem in utramque fere partem adfunt, quæ movent, rationum pondera; hæc tamen, quam Leibnitius hic afferit, sententia omnium mihi minimis laborare incommodis videtur, quia, si corpus in infinitum divisibile esset, 1) corpus qua totum suum finitum, qua partes suas esset infinitum, quod repugnat, quandoquidem nullæ partes numero infinitæ, terminis finitis circumferibi, corpusque adeo finitum constituere possunt. 2) in corpore majore, quod pluribus constat partibus, aut major esset partium infinitas, quod repugnat, siquidem in infinito non datur majus aut minus; aut non plures darentur in majore corpore partes, quam in minori, quod itidem repugnat, siquidem propterea corpus aliud majus, aliud minus dicitur, quod pluribus aliud, aliud paucioribus, partibus constat. 3) quia infinitus numerus in partibus simul existentibus cogitari aut dari nequit, licet in successivis, a parte post, concedi queat. 4) quia alias in uno infinito darentur infinita plura. Infinitum enim totum compositum esset, essent infinitæ etiam singulæ ejusdem partes, ex quibus compositum constat, utpote singulæ in infinitum adhuc divisibiles. 5) toti pars futura esset æqualis, utraque siquidem infinita. Atque hæc argumenta sunt, quæ me movent, ut huic ipsi sententiæ accedam, tanti etiam esse videntur roboris, ut vix quicquam solidi adversus eadem urgeri aut afferri queat, quicquid etiam dixerit celeb. Jo. CLERICVS *lib. V. cap. IV. phys. n. II. p. 211.* ubi duo his & ejusmodi argumentis aliis opponi posse putat, quæ tamen levioris sunt momenti, quam ut immorari iisdem sit necesse. Cartesiani tamen cum Aristotelicorum nonnullis contrarium constanter defendunt, de quo vid. Jo. CHRISTOPH. STURMIVS *phys. elect. tom. 1. p. 32. seqq.* Eatenus ergo nihil, quod defiderem, in Leibnitii de monadibus sententiâ habeo, alia tamen de eadem monenda supersunt. Illud scilicet hic potissimum defidero, quod vir illustris sibi sua in sententiâ ipsi non constat, hoc est, talia huic doctrinæ admiscet, quæ cum eadem partim consistere nequeunt, partim etiam, si consistere possent, probari tamen ab eodem, quod actu ita se habeant, nunquam possunt, saltem probata non sunt, & pro probatis tamen habentur.

## §. VII.

Ad prius refero, quando vir illustris §. 18. scribit: *Es können die einfache Substanz entelechia genennet werden. Denn sie besitzen*

B 3

Contradictoria monadolog. Leibnitiana tradit.



ezen gewisse Vollkommenheiten in sich, (ἐχον τὸ ἐντελές) sie haben eine sussiance (αὐτάδειξιν,) oder dasjenige, was sie zur Vollziehung ihrer Würckung nöthig haben, und welches verursachet, daß sie die Quellen ihrer innerlichen actionen, und so zu reden, uncörperliche automata sind. Item, quando §. 19. statim subjicit: wenn wir alles dasjenige, was perception und appetit hat, nach dem erkläreten allgemeinen Verstande eine Seele nennen wollen, so können alle einfache substancen oder erschaffene monades Seelen genennet werden. Gaudere monades perceptione & appetitu, habere illas in se τὸ ἐντελές ad internas producendas actiones, esse eandem automata spiritualia, ex illarum thesium numero sunt, quæ dicuntur, non probantur, de quibus deinceps dicendum erit. Hic modo notamus, quod ex mente viri illustr. omnes monades entelechiæ, imo & animæ vocari queant. Cum autem illæ ipsæ monades sint atomi naturæ & elementa rerum, §. 1. & 3. ex quibus universa compositorum massa est conflata; materia totusque mundus materiatus systema entelechiarum & animarum erit: adeoque quicquid videmus, quicquid calcamus pedibus, quicquid edimus & bibimus, quicquid manibus contrectamus, imo omnes corporis nostri artus, animæ erunt fere infinitæ, earumque innumera congeries. Argumento quidem hæc hypothesis viri illustris est, non alligatam ejus philosophandi rationem terminis, iisdemque ita restrictam esse, ut ultra, quam termini artisque vocabula ferunt, ejus cogitationes se non extendant; siquidem ultra entelechiarum & animarum receptum significatum ille suas meditationes provehit, illudque vocabulum ad ejusmodi res transfert, quibus a nemine applicatum hactenus fuerat. Quoniam autem monadibus suis ejusmodi quid, quo cum animabus nostris conveniant, inesse vir illustris nec probavit, nec probare potest, male animarum & entelechiarum nomen iisdem tribuit, atque illis, qui omnia ex recepto terminorum significatu, perperam licet, metiuntur, risum mover, eorumque se ludibrio exponit; alios autem, qui terminum facile condonarent, dummodo res ipsa, ob quam vocabulum novo significato induitur, probata satis esset, quando probatam eandem nondum, quantum opus erat, vident, ad aliquam fere animi indignationem provocat, quod tantum philosophum sententias nec probatas, nec probandas, adeo secure & confidenter amplecti, suaque auctoritate



ritate non tueri solum, sed aliis etiam persuadere, observant. Atque eatenus ne his quidem vicio vertere possum, si ad ridendi materiam hanc ipsam de monadibus doctrinam abripiant, qua totus mundus ex animabus compositus esse dicitur, spirituumque adeo systema evadit. Eiusdem autem farinae, sed majoris simul periculi, res est, quando §. 47. Deum inter monades refert. *GOtt, inquit, ist die allererste und urständliche monade, von welcher alle erschaffene monaden sind hervor gebracht worden.* Nolo viro illustri hic imputare, quod tamen per justam consequentiam ex hac ipsa thesi elici posset, siquidem constat, faniora longe illum de DEO & credidisse, & docuisse publice, quam ut vel eundem partem mundi materialis cum Spinoza, ex solo merito & maledicto omnibus bonis nomine, facere, vel etiam mundum a DEO per emanationem esse, ex ejusque essentia ortum, tradere velit, quod dogma alias Cabbalisticis commune esse constat. Collegit nuper nonnulla Cabbalistarum ea de re loca, inprimis R. *Abraam Cohen Jirra*, Lusitani, ex *dissert. sua ejus sic dictae portae caelorum ejusque cap. 7. p. 96. seqq.* & ex *cabbala denudata tom. II. part. 3. quae ibidem ad R. Jitzback Lorientis tractatum de revolutionibus animarum part. I. cap. II. §. 2. p. 245. annotata sunt*, JO. JAC. LEHMANNVS in *observat. ad Dn. D. Buddei philos. eccl. tom. I. p. 148. not. K.* vid. etiam ipse Dn. D. BVDDEVS in *introd. ad philos. ebr. §. 35. p. 285. seqq.* Alterutrum tamen vir illustris fateatur, necesse est, vel, quod parum philosophice suas definierit monades, dum synonymum illarum atomos naturae, hoc est rerum naturalium & materialium, & elementa rerum, scilicet materialium, esse dicit; vel, quod periculo haec ipsa de DEO assertio non careat. Quis enim est, qui non videat, eandem hoc modo DEO adscribi, quae rerum elementarium & illarum atomorum, ex quibus composita secundum §. 3. constant, est, naturam, adeoque in eorum DEVM rejici classem, quae compositorum naturam, tanquam partes, ingrediuntur, quod certe indignum DEO est, indignum etiam magno Leibnitii ingenio. Proxima enim sternitur, ad asserendum mundi ex DEO per emanationem ortum, via, quam omnes tamen & philosophi, & praeter fanaticos, theologorum nomine indignos, theologi merito omnes abominantur. Quod si enim DEVS monas est, monades autem in genere secundum §. 3. sunt atomi naturae & elementa rerum, quid obstat, quo minus mundus



dus materialis, ex monadibus compositus, ex DEO per emanationem esse queat? Hocque eo magis concludi poterat, quod §. 49. vir illustris scribit: *in den erschaffenen monadibus finde man nur eine Nachahmung Gottes, quæ licet de vi repræsentativa intellecta solum vir illustris velit, facile tamen generatim capi, si præter ejusdem mentem conclusiones formare ex ejus positionibus vellem, possent. Sed religioni, quod jam dixi, duco, has & ejusmodi conclusiones alias viro illustri obtrudere, quod ab ejus mente alienissima hæc omnia esse constat. Incautius tamen & minus circumspecte monadologiam hanc ab eodem conscriptam esse testantur, ipsasque ejusdem positiones sibi, invicem repugnare.*

## §. VIII.

Id quod  
 novo pro-  
 batur ex-  
 emplo.  
 Continet  
 monadol.  
 quoque  
 quæ nec  
 probata  
 sunt, nec  
 probari  
 possunt,

Sed aliud adhuc ejusmodi occurrit exemplum, hoc loco non prætereundum, nisi levioris solum esset momenti. Paucis tamen ejus injiciam mentionem. Afferuerat vir illustris, dari simplicia, eaque ita comparata esse, ut nullis partibus constent, §. 1. quæque extensione nulla, nullaque figura gaudeant, in quibus etiam nulla divisibilitas locum habeat. §. 3. Et hoc tamen non obstante §. 67. inquit, *daß nicht allein eine jede portion der materie VNENDLICH theilbar sey, sondern auch ein jeder Theil wirklich OHNE ENDE in andere Theile, deren jeder eine eigene Bewegung hat, wieder aufs neue eingetheilt sey.* It. §. 65. *die Maschinen der Natur, d. i. die lebendigen Körper, sind VNENDLICH fort gewisse Maschinen in ihren geringsten Theilen.* Si autem quælibet materiæ portio partes habet infinitas, & in partes infinitas actu est divisa, habebunt & monades partes infinitas, & propter partes habebunt etiam figuram, eruntque extensæ in longum, latum & profundum, quæ tamen in superioribus omnia iisdem denegantur. Quid? quod §. 2. expressis verbis dicatur, *keine Monade könne in ihren innerlichen Wesen alteriret oder verändert werden, addita ratione, weil man in denselben nichts versetzen, noch eine innerliche Bewegung begreifen kan, & hunc tamen juxta §. res sunt, die wirklich ohne Ende in andere Theile, deren jeder eine eigene Bewegung hat, wieder aufs neue eingetheilt seyn.* Quicquid autem de singulis materiæ portionibus valet, illud & de rerum materialium elementis valeat, necesse est. Hac ergo contradictione nihil manifestius esse potest. Sed majoris momenti sunt, quibus monadum suarum naturam intrinsecam definire vir illustr. annititur. Eo autem omnia tendunt, ut probet,



bet, monades suas esse specula universi, omniaque in iisdem eodem ordine, nexu indivulso, representari, quo in mundo ipso fiunt, pro cuiuslibet tamen monadis in mundo situ. Huc enim omnia tandem, velut ad centrum suum, collimant, quaecunque prolixè sparsim de natura simplicium dicuntur, quaeque singula jam ordine erunt afferenda. Ipsam tamen primum videbimus hanc Leibnitii de monadibus sententiam, atque deinceps retroeundo, ex quibus deducatur fundamentis, paucis perillustrabimus. Speculum monades universi esse asserit vir illustris in primis §. 57. ubi, postquam antecedentibus §. 54. 55. & 56. asseruerat, plures se DEO mundos possibiles obtulisse, ex quibus ille optimum elegerit, esseque ejus bonitati, sapientiae & potentiae tribuendum, quod actu ipso illum produxerit, i. e. ita pergit: *Daß er nun alle erschaffene Dinge nach einem jedweden, und ein jedwedes nach allen andern eingerichtet und verfasst hat, solches verursacht, daß eine jede einfache substance gewisse relationen hat, durch welche alle die andern substantien ausgedrucket und abgebildet werden, und daß sie folglich ein beständiger, lebendiger Spiegel des gantzen grossen Welt-Gebäudes sey.* Habemus hic ex ore viri illustris thesin simul cum probatione. Respicit autem vir illustr. prioribus §. hujus verbis ad harmoniam rerum omnium in mundo praestabilitam, quam aliis in locis passim defendit, vi cujus omnia in mundo fundamentum suum habeant, quare ita a DEO, & non aliter fuerint facta. Quam, quanquam hoc loco non prober, facile tamen quilibet concedet, qui DEVM certum ob finem omnia condidisse, nec sine ratione, quicquid fecit, fecisse, concedit: id ipsum tamen quod vir illustris ex hac generali harmonia concludit, ex eadem sequi, Argus sit, qui videat. Quae enim, quæso, consequentia est: quia DEVS omnia cum ratione fecit, ita ut alterum sit alterius causa factum, unumque omnibus, omniaque uni, accommodata creavit; ergo monades seu substantiae simplices specula sunt universi, idemque perpetuo representant? Hoc, si concludendum exinde quid erat, sequebatur, quia DEVS omnia harmonice condidit, ita ut perpetua inter omnes relatio & harmonia detur, fuisse & eodem modo monades conditas, ita, ut singulae illae ad totum universum, totumque universum ad singulas monades inferat relationem: atque quicquid ultra id ipsum, ad specialiora progrediendo, exinde concluditur, vitium est ar-

C

gumen-



gumentationis, saltusque committitur. Male enim, id, quod omnes logici libelli, imo ipsa veritas, loquuntur, a genere ad certam determinatamque speciem concluditur, adeoque & in nostro exemplo a generali quadam monadum ad systema mundi relatione ad mundi representationem. Quemadmodum enim ex harmonia illa generali non sequitur, mundum universum esse speculum singularum monadum; sic eodem etiam modo ex eadem non sequitur, monades seu substantias simplices esse specula universi. Et quid tandem sibi; volunt verba, *daß die Monades ein beständiger lebendiger Spiegel des großen Welt-Gebäudes seyn*. Pugnant enim hæc cum duabus aliis viri illustri assertionibus. Vidimus enim jam sæpius, denegari a viro illustri §. 1. monadibus omnes partes, negari §. 3. omnem extensionem in longum latum & profundum, denegari illis figuram & divisibilitatem omnem. Jam vero conciliet, qui potest, quomodo atomi, ex quibus substantiæ oriuntur compositæ, omnibus partibus destitutæ, figura nulla præditæ, omni privatæ extensione, specula fieri universi queant, quod partibus constat, quod figura præditum & in longum latum & profundum extensum est. Numne id, quod partibus constat, quodque extensum est, modo speculari representari & comprehendi ab eo potest, quod nec partibus nec extensione gaudet, atque id non solum quoad unicum, sed quoad omnem ejusdem, diverso tempore diversissimum, statum? Sed pugnat hæc sententia etiam cum §. 7. viri illustri. *Es ist kein Mittel vorhanden inquit ibidem, wie eine monade in ihrem innerlichen Wesen durch eine andere Creatur könne alteriret und verändert werden*. Atque statim pergit: *weder ein substance noch ein accidens ist vermögend von aussen in eine monade hinein zu treten*. Quod si ergo nec substantia, nec accidens, extrinsecus monades penetrare potest, qui quæso specula illæ universi esse possunt, *pro suo in eodem universo situ*? Et hoc tamen non obstante idem de monadibus suis denuo asserit §. 58. quando de illis affirmat; *daß sie so viel perspectivische Abbisse einer einzigen Welt sind, nachdem sie (mundus scilicet) von einer jedweden monade aus verschiedenen Ständen und Gegenden betrachtet und abgebildet wird*. Quibus verbis denuo vir illustri asserit, monades pro diverso suo in universo situ diversimode etiam mundum representare.



## §. IX.

Sed facile prævideo, quid adversus hæc, quæ contra vim mundi repræsentativam allata sunt, excipi queat: scilicet, mundi imaginem non extrinsecus a monadibus recipi, nec modo vere *speculari*, sed *speculari* solum *analogo*, repræsentari, adeoque loca antea allata cum hac, de monadum repræsentatione, hypothesi minime pugnare, totamque propterea concidere oppositionem: monades enim sua natura ad repræsentandum a DEO conditas esse, omniaque, quæ in mundo fiunt, citra ullam extrinsecus factam impressionem, repræsentare, adeoque & in puncto omnia fieri, & citra receptionem externam repræsentari cuncta posse. Duplex autem ad hoc dubium mihi suppetit responsio, quam speciosum etiam videri initio poterat. Initio enim respondeo κατ' ἐν ὁρατων & ex concessis receptisque dissentienti principiis. Quod si enim repræsentationes non extrinsecus ab ipsa monade recipiuntur, quid opus est, ut, quo diversa repræsentatio fiat, diverso monades gaudeant situ versus universum, & quare non monades, quocumque gaudeant situ, ea repræsentant, quæ repræsentarent, si alio gauderent, aut quare mundus diversimode repræsentatur, *nachdem sie von einer jedweden monade aus verschiedenen Ständen und Gegenden betrachtet und abgezeichnet wird?* Si nihil, quod toties vir illustrius ad ravim fere usque inculcat, sine principio sufficientis rationis admittendum, ostendat quæso, quicumque hic cum Leibnitio facit, quænam hic sit ratio sufficiens, cur, cum nihil extrinsecus monades penetrare queat, situ tamen versus illam mundi partem opus habeant, quam repræsentare debent. Quis non videt, confugere hic Leibnitium ad aliud quod principium, quo carere in sua de monadibus doctrina non poterat, quodque tamen simul sufficienter probare nequit: Eo magis autem hæc observatio notanda erit, quod ipse etiam celeb. Wolfius ad repræsentationes animæ requirit, ut corpus versus eas conversum sit mundi partes, quas repræsentare anima debet, cum alias non illam, sed aliam, quam corpus suo respicit situ, repræsentet, uti infra ex locis adducendis patebit. Premitur enim vir celeb. iisdem hic cum Leibnitio difficultatibus, & quamdiu hujus rei sufficientes dare rationes nequit, multum de suo systemate, imo fere omne, qua alterutram ejusdem partem, perdit. Non enim sufficientes esse, quas dedit in metaphysica sua rationes, suo loco ostendere annitar. Sed & alia adhuc supersunt, quæ regeri possunt. Quod si

Nec valet hic quicquam pro defendenda vi repræsentativa monadum exceptio.



enim representatio illa non est vere specularis, quod sollicite notandum monet cl. BVLEFINGERVS *L. c. p. 103. not. q.* sed figurata hæc solum est locutio; ratione oportet illud, aut ad minimum apprehendendi vi, rationi analoga, præditum esse, quod mundum representat. Quoniam itaque vir illustri vim suam representativam ipsi etiam mundi elementis tribuit; ipsa mundi omnia elementa omnesque atomos ratione, aut rationis analogo, prædita esse oportet. Quod quanquam absolum pronunciare nolim, probari tamen nullo argumento posse persuasissimum habeo. Sed transeant hæc tantisper, atque nolo urgere, contradictionem sic inter ipsa monadologias principia esse, id tamen mihi licebit, ut rationes potestem, quibus evincatur, nihil extrinsecus ad ipsam monada pertinere posse. Non enim puto, vitio posse verti, si a philosopho, qui ubivis principium rationis sufficientis urget, nihil admittatur, quin sufficiente fuerit probatum ratione. Frustra tamen rationem apud virum illustrem hic quaesiveris, quantopere etiam alias pro eadem pugnat. Nihil enim, præter nudam assertionem, jam adductam, hic deprehendimus. Contentus enim vir illustris est, asseruisse, *daß weder eine substance, noch ein accidens vermögend sey, von aussen in eine monade hinein zu treten.* Quoniam igitur viri illustri autoritas rationis loco illis esse nequit, qui non autoritatibus, sed rationibus, ducuntur; non ægre ferret, si viveret, quod assertionem ejus, ratione destitutam, non satis assensu dignam judicem. Patet autem hinc, quam lubrico, imo, si dicendum, quod res est, plane nullo harmoniæ præstabilitæ systema, qua alterutram saltem partem, secundum Leibnitianas hypothesas innitatur fundamento. Etenim monades nullas extrinsecus ideas aut representationes recipere, non probat, sed sumit; easdem nihilo tamen minus vi representativa mundi gaudere, non firmiori argumento, uti jam videbimus, evincit, atque postquam deinde §. 14. & animam nostram in monadam retulerat classem, ex his suis assumtis principiis deinceps infert, non posse animam extrinsecus, per sensuum organa, ideas rerumque imagines recipere, sed omnia illa jam ante in eadem delitescere, ex eademque ordine constanti evolvi. Hac autem methodo si in ipsis fundamentalibus principiis uti licet, ut illæ pro arbitrio assumantur, ex illisque deinceps conclusiones formantur, non facile, sed facillimum, imo nullius negotii res erit, quotidie nova systemata componere, eaque erudito obtrudere orbi.

At-



Atque in hac ipsa fundamentali positione ipse etiam, quod miror, vir celeb. DN. CHRIST. WOLFFIUS deficit, quod inferius suo loco probabo.

## §. X.

Verum generales modo hæ fuerunt exceptiones, aduersus assertam monadibus repræsentativam vim mundi, tempusque nondum est, ut labefactare jam ex illis systema hoc conemur, antequam pluribus adhuc fundamenta, quibus vim illam repræsentativam vir illustr. adstruere laborat, excussimus. Quanquam autem propterea, quod affirmat, *daß weder eine substance noch ein accidens vermögend sey von aussen in eine monade hinein zu treten*, iisdemque tamen monadibus, hoc non obstante, vim mundi repræsentativam tribuit, probandum eidem fuisse, latere veluti jam totius mundi in monadibus faciem, congenitasque iisdem omnium rerum, quæ ab illis repræsentantur, ideas esse, quæ perpetuo sibi constantique ordine succedant, aliamque adeo post aliam repræsentationem producant; asserit tamen hæc omnia solummodo, neque ulla ab eodem sufficiens, pro hoc probando argumento, expectanda est ratio. Probandum enim viro illustri fuisse, monades suas ideis ejusmodi rerum repræsentandarum prægnantes quasi atque turgidas esse, probandum erat, dari in iisdem ordinatam repræsentationum successionem, & unde illa in iisdem sit, quove modo fiat; sed alium de his omnibus est silentium, nudisque assertionibus res omnis conficitur. Repræsentabo ipsius viri illustris verbis ea, quæ fundamenta harum hypotheseum continent, nec quicquam, quod modo huc facere queat, omittam. Ingenue enim rem omnem tractabo. Ita autem post adductam modo ex §. 7. assertionem vir illustris §. 8. pergit: *Unter dessen müssen die monaden gewisse Eigenschaften haben, denn sie sonst keine entia und wirkliche Dinge wären*. Atque hoc est, quod omnes largiuntur, quod nemo negat; quod & de eo valet, quando ibidem pergit: *wenn die einfachen substancen nicht von einander unterschieden wären, so würde kein Mittel verhanden seyn, wodurch man in denen Dingen eine Veränderung wahrnehmen könnte, weil dasjenige, was in denen compositis ist und vorgehet, nirgend anders als von denen in ihnen befindlichen simplicibus herkommen kan*, idemque repetit §. 9. quando inquit: *Es muß doch ein Unterscheid seyn, den eine jede monade vor einer andern hat*. Id tamen observo, virum illustrem in eo esse, ut intrinsecam inter monades differentiam probet, & tamen ad compo-

Specialiora  
hujus fententia  
fundamenta  
adducuntur.



fitorum se recipere discrimen, quod utique quidem ex simplicium  
 discrimine, verum non interno, sed externo, quod solum in com-  
 positum differentiam influit, originem ducit. Sed conce-  
 damus & hoc, brevitatis & inquirendæ veritatis causa, dari in mo-  
 nadibus intrinsecum aliquod discrimen, quanquam, uti ex §. 5.  
 hujus dist. constat, male illud, cum probandum fuisset, suppona-  
 tur, atque ulterius virum illustrem audiamus, qui ita §. 10. pergit:  
*Ich nehme auch als etwas unstreitiges an, daß ein jedes erschaffenes Wesen,  
 und folglich auch die erschaffene monade, der Veränderung unterwürffig  
 sey, so daß solchane Veränderung in einer jeden auf eine unverrückte und un-  
 unterbrüchige Weise fortdaure.* Hoc quemadmodum de omnibus com-  
 positis valet, cujuscunque etiam de cetero sint naturæ; sic de mo-  
 nadibus, hoc est, simplicibus, non sumendum, sed probandum e-  
 rat, imprimis cum adeo immutabiles easdem esse vir illustris ipse,  
 rectissime licet, §. 4. 5. 6. asserat, ut neque perire, nisi per annihilati-  
 onem, neque incipere, nisi per creationem, queant. Extrinsicam  
 enim mutationem vir illustris nec intendit, nec intendere potest,  
 quia nullæ sunt in simplicibus partes, inter quas illa contingere  
 queat; ad intrinsecam autem quoniam viam sibi parare his positi-  
 onibus vir illustris contendit, probanda illa erant, non simpliciter  
 asserenda. Sed & id concedam, intrinsecas quasdam easque per-  
 petuas & nunquam interruptas in monadibus dari mutationes: ni-  
 hil enim, ne sic quidem, vir illustris lucratur: nulla enim ab ejusmo-  
 di variationibus intrinsecis, ad continuam variarum mundi repræ-  
 sentationum successionem, valet consequentia. Sequamur modo  
 eundem porro loquentem. Sic autem §. 11. inquit: *Es folget aus  
 dem bereits beygebrachtten Satz ( respicit autem ad §. 7. quem tamen,  
 quod jam monstravi, asseruit modo, non probavit, ) daß die natürliche  
 Veränderung derer monadum von einem innerlichen Principio herrühre, vveil  
 eine äußerliche causa in ihr innerliches keinen Einfluß haben kan. Und man  
 kan überhaupt sagen, daß die Krafft (vis) nichts anders sey, als eben das  
 principium der Veränderung.*  Quibus verbis, præter priora, nondum  
 probata, novum denuo principium asseritur, esse scilicet in mona-  
 dibus *eine Krafft (vim)*, quæ principium mutationis sit intrinsecum;  
 sed asseritur denuo, non probatur. Sit autem & huic, omni licet  
 absque probatione assumto, principio locus, quemadmodum &  
 illi, quando §. 12. pergit: *Es muß aber auch außer diesem Grunde, vvor-  
 aus die Veränderungen erfolgen, noch etwas mehrs, vvelches von einan-  
 der*



der unterschieden ist, und sich verändert, in einer monade angetroffen werden, wodurch, so zu reden, die verschiedene und mannigfaltige Arten der einfachen substantien entstehen, quanquam, si rationem illius oportet, es muß, quæras, nullam, præter voluntatem dicentis, in toto monadologia systemate invenias. Jam enim ad scopum suum propius paulo accedit, quando §. 13. adjicit: *dieses detail muß vieles in dem einem und dem einfachen in sich fassen. Denn da alle natürliche Veränderungen nach gewissen Graden geschehen, so wird etwas verändert und etwas bleibt übrig: und folglich müssen viele Eigenschaften und relationes in einer monade verbunden seyn, ob gleich dieselbe gar keine Theile in sich fasset.* Adduco autem studio omnia hæc verba, ut nihil, quo sibi viam ad adstruendam suam parat hypothesin, omitam, lectorique adeo pateat, quibus argumentis demonstrationem suam vir illustris perficiat, omnique ita suspicione, tanquam nonnulla ad demonstrationis nexum pertinentia omiserim, me liberem.

## §. XI.

Atque ex his tandem principiis concluditur, atomos, monades atque substantias simplices esse specula universi, §. 57. & 58. jam supra adductis, quæ denuo §. 61. repetit, quando inquit, *daß die Natur einer jeglichen monade repræsentativisch und so beschaffen sey, daß sie die Dinge in der Welt abzubildern fähig ist.* Quæ enim interjacent inter hos §§. aut alio spectant, aut deinceps adhuc adducenda erunt, sancteque testor, nulla harum conclusionum alia in monadologia principia tradi, quam quæ hætenus adduxi. Jam vero cogitet quæso ingenuus quisque & a partium studio remotus censor, numne hæc talia sint, quibus fuerit evictum, aut evinci saltem possit, monades specula esse universi. Omnia, quæcunque principiorum loco assumuntur, assumuntur, non probantur, nec probari possunt, & si vel maxime probata essent, ne sic tamen illæ ex iisdem elici monades possent, quas vir illustris describit. Sed secure confiteor, probari illa non posse. Nulla enim hic a posteriori probatio afferri potest, quia nihil ejusmodi in atomis deprehendimus, ex quibus hæc talis earum affectio concludi queat. Fugiant sentum, imo, rationem fere fugit atomorum natura. Quid ergo in promptu est viro illustri, aut defensoribus ejus, ex quo a posteriori thesin suam confirmare vel velint, vel possint? Nec a priori probari idem potest. In  
crea-

Fundamen-  
torum ho-  
rum imbecillitas demon-  
stratur.



creaturarum enim natura, a priori probanda, nusquam, nisi ad voluntatem atque potentiam creatoris, recurrere possumus. De potentia autem nullum quidem hic est dubium, quia ea, quæ de monadibus dicuntur, nullam contradictionem in se involvunt. Sed a potentia ad actum parum philosophice concluditur, quanquam eo probandi modo usus nuper etiam fuerit Dr. GODOFR. POLYCARPVS MULLERVS in *philos. facultatibus superior. accommod. phys. sect. I. quæ pnevmatologica est cap. II. §. 7. p. 84.* ubi spiritus finitos, seu, ut ipse loquitur, *potentias finitas*, dari probaturus, secundo, inquit, *intellectus noster liquido ostendit, tales potentias esse possibiles, easque rite concipit, de quo statim acturus sum; ergo etiam existunt, quandoquidem nulla potentia potest concipi, que non sit in rerum natura. Nam non datur fictio potentiarum simplicium, & si daretur, potestas cogitandi finita esset latior & universalior virtute creandi, & ipso actu creationis.* Ergo ex sententia viri cl. quicquid possibile est, & cogitari ab intellectu finito potest, actu etiam creatum a Deo est & existit, siquidem plus alias cogitari a finito intellectu posset, quam a Deo actu ipso est factum. Sed asserta hæc is solum mirabitur, cui nondum notum est, utramque viri clariss. philosophiam, latinam scilicet hanc & germanicam, cui titulus: *Weisheit und Klugheit der vernünfftigen Welt, Lips. 1723.* editam, qua illam partem, quæ theoretica est, quæque *physicam & pnevmaticam* complectitur, congeriem explosarum dudum sententiarum, imo anilium fere dixerim fabularum, si *magiam* ejus simul in hunc censum referam, esse. Illa enim omnia adstruere & intricare vir clariss. non potuisset, nisi his & ejusmodi argumentis aliis fuisset usus. Præcursorem tamen in eodem argumentandi modo habet ANDREAM RYDIGERVM *phys. div. libr. 1. cap. II. sect. 1. §. 5. p. 86.* qui de eadem etiam materia eodem utitur, atque adeo pessimo argumento rem optimam & in se fide dignam probat. Verum qui prima modo philosophiæ elementa didicit, novit simul, nullam valere a posse ad esse consequentiam. Sola ergo divina potentia monades tales, quales a Leibnitio describuntur, non probat existere. Ergo divina solummodo remanet voluntas, in probanda earundem a priori existentia, quam tamen quo probare argumento quis queat, hactenus non video. Cum itaque nec a priori, nec a posteriori, monades Leibnitianæ probari queant, probatæ etiam ab ipso viro illustri nondum sint, fœcun-



fœcundæ sunt manentque imaginationis fœtus, ut lenius de re, in præiudicium antiquissimæ veritatis excogitata, sentiam, verumque adeo de iisdem est, quod ipse LEIBNITIVS in *sto adversus Clavekium scripto* p. 48. edit. germanicæ scribit: *die Menschen verfallen gar leicht auf Hirn-gebubren, vvenn sie sich dieses grossen principii* (intelligit autem principium rationis sufficientis) *nicht gebührend zu gebrauchen vvisen.* Utinam enim & sibi illa vir illustris dicta putasset, antequam suam consignasset monadologiam. Nihil enim in eadem ex principio sufficientis rationis, qua caput rei, fluit, sed omnia sine eodem assumuntur. Sententiam ergo de suo hoc invento vir illustris ipse tulit.

## §. XII.

Sed opus est, ut reliqua quæ de monadibus a viro illustri afferuntur, paucis adhuc persequamur. Perceptiones enim & appetitus iisdem tribuit, quando post adductum jam §. 13. ita §. 14. pergit: *der veränderliche Zustand, vvelcher eine Vielheit in dem einen oder dem einfachen in sich fasset und vorstellet, ist nichts anders als dasjenige, vvelches man die Empfindung, oder perception nennet, die man von der apperception, oder dem bevvußt seyn, vvoobl unterscheiden muß.* Incohærentia quidem & paradoxa hæc videri poterant, non sine fundamento tamen essent, dummodo illa, quibus superstructa sunt, firma essent satisque solida argumenta. Quodsi enim mutationes quædam in substantiis simplicibus, quæ partibus omnibus destituuntur, eæque intrinsecæ, contingerent, illæ non aliter, quam ad instar perceptionum, se habere possent. In verbis autem, nude ita a viro illustri positæ, duo sunt, quæ desidero: 1) quod nondum probavit, variationes & mutationes internas in substantiis simplicibus, seu monadibus, contingere: 2) quod, si vel maxime concedatur, illas in iisdem dari, habere fecitiam ad instar perceptionum, nondum tamen sic evictum est, perceptiones illas harmonicas esse mutationibus illis, quæ extra illas monades in mundo fiunt, illisque accurate eodem, quo hæ ipso actu contingunt, ordine, eodemque tempore, respondere, idque pro situ monadum in mundo diverso. Atque hoc tamen, ut probaretur, opus erat, si ex mutationibus monadum intrinsecis perceptiones, & ex perceptionibus specula illa universi esse, concludi deberet. Hæc autem omnia cum desint, maximique adeo in probationibus relinquuntur hiatus, non majoris hæ positio-

Nec firmiora aut solidiora sunt, quæ in sequentibus afferuntur.



nes sunt ponderis, quam quæcunque fictiones aliæ, quæ imaginationis ope gignuntur. Quando ergo vir illustris §. 15. pergit: die action oder That des innerlichen principii, welches die Veränderung, oder den Fortgang von einer perception zu der andern, verurrsachtet, kan appetition, oder die Begierde genannt werden, concedo hæc lubentissime; sed eo ipso probatum nondum est, dari ejusmodi appetitionem; uti vocat, in monadibus, quæ tamen viri illustris mens est. Ex denominationis enim possibilitate, ad existentiam ipsius rei, concludere non licet. Atque his tamen principiis innituntur, quæcunque de perceptione & appetitu monadum, ex quarum numero & anima nostra esse dicitur, affirmantur, de illa scilicet perceptione, qua rerum imagines non per sensuum organa demum in anima excitantur, sed ab anima modo ex se ipsa, ordine constanti, eliciuntur. Non majori autem robore gaudent, quæ §. 18. supra etiam jam adducto, asseruntur: Es können alle diese einfache substancen oder erschaffene monades entelechia genennet werden, denn sie besitzen gewisse Vollkommenheiten in sich, (ἐξ αὐτῶ ἐντελεχίαις), sie haben eine suffisance, (αὐτοαρκείαν), oder dasjenige, was sie zur Vollziehung ihrer Würckung nöthig haben, und welches verurrsachtet, daß sie die Quellen ihrer innerlichen actionen, und, so zu reden, uncörperliche automata sind. Quo hæc enim tendant, quilibet rei peritus videt, eo scilicet, ut monades nullas rerum ideas extrinsecus recipere, sed omnes ex se ipsa excitare, probet. Sed ubi ratio? ubi probatio? quodnam argumentum, quo veritas §. evincatur? asseruisse si sufficit, facillimum jam erit, omnia, quæ modo cunque placuerit, defendisse. Hoc ergo cum concidat asserunt. concidit & illud, quod §. 22. adjicitur, daß ein jeder gegenwärtiger Zustand einer einfachen substance natürlicher weise eine Folge aus ihrem vorbergehenden Zustand sey, und das gegenwärtige ein Inbegriff von dem zukünftigen; ut & quando additur: eine perception kan natürlicher weise nur aus einer andern perception entspringen, gleichwie eine Bewegung natürlicher weise nur aus einer andern Bewegung erwachsen kan, & tandem §. 65: da eine jede monade nach ihrer Art ein Spiegel des ganzen Welt-Gebäudes ist, über dieses auch die Welt nach einer ausbündigen und vollkommener Ordnung verfaßet ist, muß auch eine Ordnung in demjenigen seyn, welches dasselbe abschildert, das ist, es muß eine Ordnung in den perceptionen der Seelen, und folglich in dem körper seyn, nach welchem das Welt-Gebäude in denselben vorgestellt und ausgedrucket wird. Tendunt enim hæc eo, ut demonstretur, quomodo diversissimæ nostræ, quas indies fere habemus, perceptiones ordine sibi constanti succedant; sed sine omni probatione hæc denuo assumuntur. Probandum enim erat, quod perceptiones subsequentes ex antecedentibus oriantur, & quomodo continuo adeo atque non interrup-



terrupto ordine eadem in anima, tanquam immateriali avtomato, succedere sibi queant, ut & quod nulla perceptio, nisi ex antecedente alia, prodire queat. Sed frustra hic rationem postulas, aut quæris, ubi nulla data est, nec, quod poster. disert. demonstrabo, dari ulla potest. Et hoc tamen unum ex primariis est harmoniæ præstabilitæ inter animam & corpus fundamentis, quod nisi clare, perspicue & solide demonstretur, uniuersa illa, qua facultatem sensitivam, concidit harmonia, si vel maxime omnibus prioribus fictionibus relinquatur locus, id quod suo loco, quandoquidem in eo cardo fere hujus systematis, in quantum & a celeb. Wolffio defenditur, versatur, uberius ostendam.

## §. XIII.

Atque hæc quidem primariæ sunt monadologiæ Leibnitianæ positiones, in quantum illa fundamenta harmoniæ nostræ præstabilitæ complectuntur. Quanquam autem nemo, quod sciam, suas has de monadibus Leibnitii doctrinas fecerit, adeoque inutile videri poterat, in convellendis illis positionibus tempus & laborem infumere, vel propterea tamen paulo prolixius repræsentare hæc omnia volui, quod illi, qui ipsum Leibnitianum de harm. præst. systema amplectuntur, inscii licet forsan, his fundamentis, atque tacite, nec facta explicita eorum mentione, innituntur. Patet hoc vel ex eo, quod primarias theses, quibus pro afferendo hoc systemate opus habent, quæque si probandæ essent, ex nullis aliis, nisi Leibnitianis hisce positionibus probari possent, tanquam probatas jam, aut per se veras, assumunt, nulla, ne minima quidem, adjecta probatione, id quod ipsi etiam celeb. Wolffio in nonnullis contigisse locis, si non dixerim solum, sed & probaverim deinceps, non ægre vir celeb. feret. Harum igitur thesium imbecillitatem, & ex parte falsitatem, demonstrare, hoc loco fuit necesse, ut tuto deinceps recurrere has ad observationes queamus. Hæc omnia autem, hæctenus dicta & adducta, quisquis modo obiter inspexerit, facile judicabit, qua veri speciei scribere vir illustris §. 60. potuerit: *Ich untersehe mich zu sagen, daß diese hypothese (quod nempe monades specula sint uniuersi) demonstrativisch, oder auf unumstößliche Gründe gebauet sey, & §. 61. Man ersiehet aus demjenigen, welches ich aus denen a priori bergeleiteten Beweis-Gründen bereits beygebracht habe, warum die Dinge nicht anders seyn können.* Ex sua enim solum persuasione, non ex rei veritate

Inanis ergo est viri illustris de sua monadologia gloriatio.



asserit, suam de monadibus hypothesin demonstrativam & a se ex positionibus, a priori demonstratis, deductam esse. Etenim si illud est a priori demonstrasse, quando positiones fundamentales pro lubitu, omni posthabita probatione, assumuntur, atque ex illis deinde perpetuis conclusionibus novæ theses eliciuntur, nihil erit adeo absolum & ab omni veritate alienum, quod non a priori demonstrare ausim. Quod quanquam ab illustri viro factum esse initio dubitabam, cum primum ejus monadologiam legerem, siquidem a viris, judicio & eruditione præditis, imo etiam famam eruditionis laude consecutis, non nisi solida omnia expectare soleo, atque, quoties mihi cunq̃ue inter legendum dubium de eorum positionibus oriri solet, nullam in eisdem, omnem autem in meam vel judicii imbecillitatem, vel neglectam inter legendum attentionem, conjicere culpam; de Leibnitii tamen aphorismis, post bis terque repetitam lectionem, persuasus plenissime sum, salus in probando commissos a viro illustri esse: quod &, quisquis ejus monadologiam vel legit, vel leget, verum, nec sine fundamento assertum esse, fatebitur. Miror autem ipse, qui fieri poterit, ut vir acri adeo judicio præditus tantos ingenii lusos non admittere solum, sed & pro demonstrationibus venditare potuerit, cum eum non latuerit, quanto in demonstrationibus opus sit rigore, & quam exploratæ oporteat esse veritatis theses, quæ fundamenti loco, si justa & veri nominis demonstratio esse debeat, sunt substernendæ. Nihilo tamen minus gloriando §. 61. pergit: *Die gemeine Philosophie nimmet leichtlich allerhand Arten der Einbildung an: die meinige aber ist bündiger, und dringet auf schärfere Beweisbücher.* Videmus hic, quid propriarum inventionum gloria & amor efficere possit, & quam facile eo adigere virum eruditum queat, ut, quod in aliis aliorumque doctrinis acutissime videt & taxat, in propriis tamen, tanquam aliis jam videret oculis, videre aut deprehendere nequeat. Summa enim hæctenus dictorum hæc est: dari substantias simplices omni figura & partibus carentes, quæ veri nominis atomi, simulque naturæ sint elementa §. 1. & §. 2. quæque *entelechia* seu *anima* appellari queant. §. 18. Has ipsas figura non differre, utpote quam nullam habeant, §. 3. non posse etiam ab ulla creatura, in intrinseca sua essentia, mutari, §. 7. siquidem nec substantia, nec accidens penetrare easdem queat §. *cod.* proprietatibus tamen illas oportere gaudere, siquidem



dem nulla alias entia futura essent, §. 8. & tamen simul a se invicem oportere esse diversas, siquidem alias nulla in compositis varietas deprehendi possit. *ibid.* discrimen hoc vel propterea etiam oportere esse, quod nullæ dentur in rerum natura res, quoad omnia eædem sui que similes. §. 9. Variationibus tamen easdem subjectas, uti omnes res creatas, oportere esse §. 10. illasque secundum §. 7. ab intrinseco quodam principio esse oportere §. 11. Has variationes *perceptiones* appellari posse §. 14. ipsiusque principii interni actionem, ad has perceptiones producendas, *appetuum* §. 15. Atque ex his præsuppositis tandem concluditur, esse monades substantias mundi repræsentativas, specula universi, in quibus ea, quæ in mundo fiunt, eodem ordine, quo eveniunt, repræsententur, ita ut perceptionum altera ex altera, tanquam in spiritali quodam automato, oriatur. Quod, si demonstrare est, demonstrationes quibuslibet conjecturis fere erunt faciliores.

## §. XIV.

Taceo multa alia, quæ moneri adhuc his de monadibus poterant, inprimis de monadum, intuitu perceptionum & repræsentationum, differentia, qua aliæ clariores magisque distinctæ, aliæ obscuriores solum & magis confusæ repræsentationes sustineant; sed nolo præter necessitatem ambitum dissertationis dilatari. Omnia enim, quæcunque his positionibus superstruuntur, collapsio dirutoque fundamento, sua concidunt sponte. Hæc, quæ dicta sunt, sufficiant, ut, quid monadologia illa, omnium fere ore celebrata, sibi velit, constet. Monadum quidem apud antiquiores jam factam legimus mentionem; eo tamen sensu, quo a Leibnitio hoc vocabulum acceptum est, usus eodem, quantum constat, nemo ante eundem fuit. Sic enim Pythagorei non solum multa de monadibus locuti & philosophati sunt, sed per easdem etiam ipsas atomos, primaque adeo rerum, secundum Epicuri philosophiam, elementa per easdem intellexerunt, id quod præcipuus philosophiæ corpuscularis & atomisticæ restaurator PETERVS GASSENDVS accurate evincit *phys. sect. I. lib. III. cap. IV. circa finem*. Notabilis etiam est ARISTOTELIS *lib. I. de anima cap. IV. locus*, ubi, *nihil interesse, inquit, monades dicere, an peregrina corpuscula; idemque metaph. lib. XIII. cap. VI. de Pythagoreis refert, existimare eos, monades habere magnitudinem*. Ex recentioribus monadum meminit JORDANVS BRUNVS in suo *de minimo & mensura* libro, p. 10. easdem

Occurrunt de monadibus nonnulla & apud alios, eosque antiquiores, scriptores, sed alio sensu illi vocabulum accipiunt,



tamen pro elementorum synonymo non venditat, sed numeris solum tribuit, adeoque alio, quam Pythagorico, accipit sensu. vid. HEVMANNVS *act. philof. tom. II. p. 439.* Ille igitur, quo Leibnitius significatu vocabulum accipit, plane est singularis, in eoque a Pythagoreis diversus, quod atomis illis, quibus monadum nomen tribuit, quasque pro rerum simul venditat elementis, vim mundi repræsentativam, quo autem fundamento, jam vidimus, adferbit: acri etiam propterea censura jam notatus est in

Sensu autem Leibnitiano a nemine ferè approbantur.

*histoire critique de la republ. des lettres tom. XI. p. 116. seqq.* Nec est, ex illis ipsis etiam, qui in reliquis hujus præstabilitæ harmoniæ capitibus vestigia Leibnitiana legunt, qui hanc simul suam fecerit, viri licet magni, hypothesin. Ipse celeb. Wolffius jam dubitanter de his monadibus scribit metaph. §. 599. & §. 900. Edidit autem vir celeb. recentissime *Anmerckungen über die vernünftigen Gedancken von GOTT, der Welt und der Seele des Menschen* Franc. ad Mœn. a. 1724. ubi p. 332. expressis verbis conqueritur, tribui sibi præter mentem suam a nonnullis Leibnitii de monadibus sententiam. *Es haben einige, inquit ibidem, angenommen, als wenn ich die Monades des Herrn von Leibnitz, als die Elemente der Dinge, angenommen hätte, weil ich ihnen die allgemeinen Eigenschaften der einfachen Dinge einräume, die auch Leibnitzens Einheiten oder monadibus zukommen müssen: allein wir sehen schon hier, daß dieses daraus nicht folget, und ich werde mich bald in dieser Sache mit mehren erklären.* Respicit vir celeb. ad maxime reverendi Dn. D. JOACHIMI LANGII, quod ex inspectione hujus scripti suspicor, *modestam disquisitionem novi systematis de DEO mundo & homine ejusque speciatim cap. 1. placit. 1. p. 14. seqq.* ubi Leibnitii de monadibus sententia celeb. viro tribuitur. Invito autem se id ipsum fieri, denuo fatetur *l. c. p. 335. seq.* Postquam enim p. 334. monuerat, quanta fiducia de monadum suarum veritate persuasus Leibnitius fuerit, refert, se nonnulla a Leibnitio ad instar ænigmatis fere hoc in argumento dista examinasse, veraque eadem esse deprehendisse. Addit tamen: *Allein dessen ungeachtet habe ich mich doch noch nicht determiniren können, ihm (Leibnitio) in der Lehre von den monadibus Beyfall zu geben, hæcque propterea, p. 336. se adduxisse scribit, weil man unter andern Beschuldigungen auch diese, inquit, ansühret, daß ich die Leibnitziſchen monades für die elemente der materie außgäbe.* Et tandem p. 509 expressis verbis denuo scribit, *daß er den elementen, woraus die materie entsprunget, keine Kräfte die Welt vorzustellen noch niemahls zugeeet gnet.*

## §. XV.

Celeb. saltem Wolf

Nec præter rei veritatem hæc vir celeb. asserit, meritoque, alienam



alienam sibi sententiam injuste imputari conqueritur. Etenim prolixissime ille de natura simplicium in metaphys. sua disputat, a §. 75 - 130, in illisque (quo successu, quave probabilitate, impræfentiarum non disquiro) fufe probare contendit, inprimis §. 106. seqq. simplicia non nisi gradibus differre, omnesque eorum mutationes non aliud quid, quam graduum variationes, esse posse, habere etiam eadem fontem omnis mutationis in semetipsis, quæ vis appellari queat §. 115. eamque vim cum perpetuo nisu terminos suos (*seine Schrancken*) mutandi esse conjunctam §. 118. perpetuo etiam eadem terminos suos, adeoque statum suum mutare §. 126. applicat hæc etiam §. 584. ad elementa rerum: *weil die elemente einfache Dinge sind (§. 582.), so gilt von ihnen alles, was oben weitläufftig von den einfachen Dingen überhaupt ist ausgeführt worden*; tribuitque illis propterea hoc ipso adhuc §. vim statum suum internum mutandi, secundum adductum §. 126. atque tandem §. 585. illa non, nisi interno suo statu, a se invicem differre posse asserit. Quando autem hæc omnia denuo §. 597. repetit, statum scilicet internum simplicis substantiæ nihil esse aliud, quam modum determinationis ejusdem, (*die Art seiner Einschränkung*), determinationis autem vicisitudines & variationes esse ejus mutationes, (*die Abwechselungen der Einschränkungen seyn seine Veränderungen*), mutationes quoque ejus nihil esse aliud, præterquam variationes graduum vis ejus, (*Abwechselungen der Grade seiner Krafft*), pergit ibidem: *da nun die einfachen Dinge beständig würcken (§. 120.), so muß durch ihre Würckung was hervor gebracht werden; was sich nicht allein auf alle übrige einfache Dinge, die um dasselbe sind, sondern auch auf alle zusammengesetzte in der gantzen Welt, beziehet. Quæ quoniam paululum obscuriora videri poterant, vir celeb. §. statim 598. adjicit; was eigentlich dieses ist, so durch die Würckung der einfachen Dinge hervor gebracht werde, wollen wir zu weiterer Vntersuchung ausgefetzt seyn lassen. Der Herr von Leibnitz stehet in den Gedancken, daß in einem jeden einfachen Dinge die gantze Welt vorgestellet werde &c.* ex quibus verbis satis superque elucet, virum celeb. quanquam vim quandam simplicibus statum suum internum mutandi tribuat, atque eatenus cum Leibnitio, id quod ex superioribus patet, consentiat, eo tamen nondum, quo Leibnitius, progredi, atque hanc status interni mutationem in perpetua perceptionum successione mundique repræsentatione ponere. Quod quamdiu nondum facit, nec illa de monadibus Leibnitii sententia tribui eidem potest. Quanquam enim deinceps §. 900. simplici-

fius easdem  
nunquam  
fuit suis in  
scriptis am-  
plexus,



picibus nonnullis, uti animabus humanis aliisque, vim mundi repræsentativam tribuit, de omnibus tamen idem non prædicat, sed de certa solum simplicium specie. Ex viri enim celeb. mente omnes quidem substantiæ mundi repræsentativæ sunt simplices, sed non omnes simplices statim mundi sunt repræsentativæ, adeoque de elementis mundi, quæ pro simplicibus §. 582. venditatur, judicium suum, id quod ex loco modo allegato constat, suspendit, quibus tamen, æque ac reliquis monadibus, eandem vim Leibnitiu adscribit. Addatur modo §. 600. & patebit, de novo virum celeb. se determinaturum negare *worin eigentlich dieses beståhe, daß der innere Zustand der einfachen Dinge sich auf alles in der Welt beziehet*, eademque §. 900. ubi varias substantiarum simplicium, quæ vi mundi repræsentativa gaudent, constituit classes, quando de infima earum specie, quæ obscure modo mundum repræsentent, loquitur, iterum repetit: *Ich habe schon oben (§. 599.), inquit, erinnert, daß ich vor diesemahl ausgesetzt lassen will, ob die Elemente diese Dinge sind, welche die Welt dunckel vorstellen.* Negari itaque nequit, præter meritum a rever. DN. LANGIO hanc Leibnitiu hypothesein viro celeb. l. c. obrudi, quando ibidem *simplicia* celeb. viri esse ipsas Leibnitiuanas monades scribit, ut alia taceam, quibus adversus ipsa sanioris physices principia, ubi ad loca celeb. Wolffii respondet, manifesto ibidem a viro reverendo impingitur, inprimis p. 16. num. 6. & 7. de quibus hic tamen non est disputandi locus. Ne ipse itaque celeb. quidem Wolffius hac in parte cum Leibnitio facit. Cl. autem BVLFFINGERVS, ubi ad hoc de monadibus argumentum pervenit l. c. §. 90. seqq. p. 97. seqq. relative modo hypotheses recenset, cum assertivo proponendi modo in reliquis ubivis utatur. Ex quo & ejus colligi, hoc in capite, defensum non obscure potest.

## §. XVI.

Nonnulla  
de aliis  
Leibnitiu  
sententiis  
afferuntur.

Quemadmodum autem hanc de monadibus doctrinam fundamenti loco Leibnitiu assumit, ubi facultatis animæ sensitivæ, suum secundum systema, rationem est redditurus; sic, quando de locomotiva, altero systematis objecto, instituenda disquisitione est, ad aliam se recipere hypothesin videtur. Dedit enim nonnullas vir illustris in *actis erud. Lips.* observationes, quibus unicuique substantiæ vim quandam, sive principium activum a DEO inditum esse, defendit. Proponit ea de re mentem suam dictis



dictis in actis anno c1o 1o C XCIV. p. 111. seqq. & Anno c1o 1o CXCV. p. 145. seqq. & 155. seqq. eandemque suam sententiam, cum celeb. JO. CHRIST. STURMIUS nonnulla adversus eandem *ibid.* Ann. c1o 1o CXCVII. p. 474. seqq. monuisset, sequenti Ann. c1o 1o CXCVIII. p. 427. defendit, quibus tamen Sturmius denuo quaedam opposuit Ann. c1o 1o CXCI. p. 208. seqq. qui & conferri potest in *phys. elect. rom. I. p. 119. seqq.* Sed ex responsionibus Bailio datis apparet, non tendere hæc eo, quo tendere videri poterant. Non enim tribuit corporibus vir illustris, tanquam seipsa desideriis animæ accommodare, sicque motibus suis ejusdem decretis respondere queant, sed ab aliis illa corporibus moveri concedit. Ita enim *In respons. Anti-Bailianis*, monadologiæ, editionis germanicæ, annexis, cum Bailius eadem in sententia versaretur, quod scilicet a viro illustri vis corpori se movendi, & seipsum ad animi decreta accommodandi, tribuatur, p. 57. seq. not. g. inquit: *Er (Bailius scilicet) hat grosse und wichtige Ursachen eine dergleichen Krafft, als etwas schlechterdings unmögliches zu verwerffen; hieran aber hat man niemahls gedacht.* Idem adhuc clarius fatetur p. 66. not. n. *Der Herr Baile versällt beständig, inquit, auf eine, ich weiß nicht welches Krafft, welche dem Körper mitgetheilet werden solle, damit er sich nach der Seelen richten könne. Solches fordert man aber nicht, &c. & p. 72. ubi concedit, daß ein Körper, welcher im Ruhe-Stande ist, allezeit darin seyn werde - - wenn nichts dazwischen kommt, so ihn darin bindere und unterbricht.* Consentit etiam cum his omnibus celeb. Wolffius, cujus loca inferius erunt adducenda. Huic ergo rei diutius non immorabimur, sed ad ipsum harmoniæ præstabilitæ systema jam sumus progressuri.

## §. XVII.

Hoc ergo ut jam rite intelligatur, repetendum modo paucis erit, quod notissimum alias est, & a nobis etiam in superioribus §. 1. & 2. jam brevibus notatum, versari hoc systema circa explicandam communionem animæ cum corpore, tradendumque modum, quo in anima sensationes, representationibus illis, quæ in corporum organis fiunt, analogæ, producantur, & in corpore motus, quoscunque anima fieri vult & imperat, exacte perficiantur; opponique idem eatenus systemati influxus, quod corporis in animam, & animæ in corpus, actionem mutuam si- ve influxum physicum defendit, & causarum occasionalium, quod

Harmonia  
præstabili-  
ta jam in  
genere ex-  
plicatur.

E

ia-



interpretem quasi quendam animæ ad corpus, & corporis ad animam, asciscit, DEVM scilicet, qui, occasione corporis & repræsentationum, in organis ejus sensoriiis factarum, ideâ rerum in anima ipse excitet, iterumque, occasione desideriorum & decretorum animæ, motus in corpore organico, eidem unito, ipse producat: unde &, quandoquidem creaturas causasque secundas pro meris solum occasionibus venditat, quibus præsentibus ipse DEVS omnia immediate, ratione agendi scilicet virtutis, ægat, causarum occasionalium systema fuit appellatum. Mutuum enim animæ & corporis commercium est, quod magnis semper difficultatibus subjectum, difficillimumque explicatu philosophis fuit judicatum. Quid autem illis causæ sit, cur influxum alterutrius partis in alteram negent, nec illi, cujus experientia nobis fidem facere videtur, satis tuto fidant, suo loco erit afferendum: nondum enim hic tempus est, objectionibus, contra influxus systema afferri solitis, relinquere locum. Sola itaque animæ & corporis communio est, quæ, post influxum & causarum occasionalium, novum nobis harmoniæ præstabilitæ peperit systema, cujus quid termini sibi velint, paucis jam supra dictum, hic modo res ipsa explicanda restat. Per se autem jam patet, quod, quoniam hoc systema circa explicandam animæ & corporis communionem mutuamque utriusque commercium versatur, duabus veluti illud constet partibus. Etenim omnes, qui circa rei modum explicandum maximopere dissident, in eo tamen conveniunt consentiuntque amice, quod duo vel dentur, vel videantur saltem dari, hujus ipsius communionis effectus, alter, quo *anima a corpore*, alter, quo *corpus ab anima* afficitur, nisi vel *Idealistarum*, qui nulla corpore, extra animæ imaginationem & ideam existentia, vel *materialistarum*, qui nullas, præter corpora, substantias, adeoque & nullas in corporibus humanis animas, admittunt, sequantur castra: ad priorem vero facultas *sensitiva*, ad posteriorem *locomotiva* pertinent, de quibus Aristotelici cum illis, qui influxus systema defendunt, tradere nonnulla solent. Quoniam ergo circa utramque & sensitivam, & locomotivam, harmonia præstabilita occupatur explicandam, duo hæc erunt summa harmoniæ præstabilitæ capita, ad quæ omnia referri possunt, adeoque & accurate distinguenda, & seorsim pertractanda. Circa utramque enim se offerunt, quibus hoc systema a reliquis duobus



bus differt, liquidem alio, quam haecenus factum fuit, modo & sensationes animæ, & motus corporis, animæ desiderijs respondententes, explicare aggreditur. Hoc modo, antequam ad utrumque caput distinctius explicandum, progrediamur, in genere notandum est, hominem juxta hoc systema avtomato constare duplici, altero materiali, quod corpus est, altero immateriali, quod animam vocant, quæ duo avtomata omnes suas operationes, citra communicationem cum alterutro, ita perficiant, ut non alieno & specie diverso motus principio habeant opus; sed animam omnes sensationes suas, citra corporis influxum, ex seipsa evolvere & elicere, corpus autem, motu mere mechanico, ab alijs licet corporibus, in sensuum organa operantibus, actum citra tamen animæ influxum, vel alium quemcumque concursum physicum, actiones motusque suos perficere. Deum autem harmoniam quandam inter duo hæc avtomata constituisse, ut, non aliter ac duo horologia, accurate fabrefacta, eodemque temporis momento, vi elaterum & ponderum suorum, in motum redacta, in metiundo tempore, ipfsisque adeo minutis secundis, conveniunt, sic & hæc duo avtomata perpetuam suis in actionibus harmoniam servant, ita, ut sensationes animæ non solum citra corporis influxum, sed & eo præcise tempore, producantur, quo rerum extrinsece circumstantium appulsus organa sensoria feriat, ut et corpus motus suos omnes non solum citra animæ physicum influxum producat, sed & eo speciatim temporis momento, quo hos, illos, alios motus anima in corpore fieri desiderat. Juvat hic ipsum audire Leibnitium, qui passim quidem hæc omnia seorsim, luculentissime autem & conjunctim loco adducendo effatur. Ita autem ille *monadol. §. 80. diese principia* (intelligit autem illa de monadibus, huic §. haecenus præmissa) *baben mir die Mittel an die Hand gegeben, wodurch man die Vereinigung oder Ubereinstimmung der Seele mit dem Körper natürlicher Weise erklären kan. Die Seele folget ihre eigene Gesetze, und der Körper ebener Gestalt denen seinigen, und beyde treffen zusammen, kraft der harmonie, welche unter allen substancen vorausgestellet ist* (intelligit harmoniam rerum omnium in mundo præstabilitam, seu generalem, quam præter specialem hanc, inter animam & corpus, variis in locis, utpote *monadologia, tentaminibus theodiceæ, in scriptis adversus Clarckium &c. sæpius tradit*); *allermassen sie durchgängig gewisse*.



wisse Abrisse von einerley Welt-Gebäude sind. Quibus ex verbis præter ea, quorum gratia eadem adduximus, & illud discimus, quod harmonia non solum a divina præstabilitione *mediate*, sed & ab ipsa corporum & animarum natura, ex mente Leibnitii, *immediate* pendeat, siquidem utraque pars ita comparata sit, ut representationes hujus universi continuo & constanti ordine, pro utriusque scil. in mundo situ, in iisdem succedant; ut adeo cum eadem, quæ in mundo aguntur, in iisdem eodem ordine repræsententur, exinde non possint non perpetuam inter se harmoniam servare. Quæ quanquam gratis, quia non probata sunt, nec probari possunt, dicuntur, sententiam tamen viri illustri exinde discimus, conveniuntque adeo ea, quæ a nobis hoc in §. dicta sunt, cum ipsa Leibnitiana mente. Avtomatorum autem ad instar sibi corpus virum illustrem concipere, nullum est dubium. De anima autem ipse expressis verbis asserit *monadol.* §. 18. quem supra §. 13. jam adduximus, adscribit etiam certas cuius avtomato leges, secundum quas operetur §. 81. quando inquit: *die Seelen würcken nach denen Gesetzen der final Ursachen, vermöge der Begierden und Absichten, und der hierauf abzielenden Mittel; die Körper verrichten ihre VVürckungen nach den Gesetzen der causarum efficientium oder der Bewegungen. Und die zwey Reiche, in deren einem die würckende Ursachen, in dem anderen die final Ursachen beobachtet werden, sind unter sich harmonisch.* Pertinent huc etiam ejusdem Leibnitii verba quæ cl. Bullfingerus adducit, l. c. p. 9. *Hoc modo, inquit ibidem, fit, ut omnium naturalis ratio reddi possit in anima corporeque, dum status præsens corporis ex statu præcedente nascitur per leges causarum efficientium, & status præcedens anima ex statu præcedente nascitur per leges causarum finalium. Illic series motuum; hic series appetituum. Illic transitur a causa ad effectum; hic a fine ad medium, &c.* atque cum his omnibus contentit etiam celeb. Wolffius *metaph.* §. 705. *Da nun die Seele ihre eigene Krafft hat, wodurch sie sich die Welt vorstellt (§. 753.), hingegen auch alle natürliche Veränderung des Leibes in seinem Wesen und seiner Natur gegründet sind (§. 630.): so siehet man leicht, daß die Seele das ihre vor sich thut, und der Körper gleichfalls seine Veränderungen vor sich hat, ohne daß entweder die Seele in den Leib, und der Leib in die Seele würcket, oder auch Gott durch seine unmittelbare Würckung solches verrichtet, nur stimmen die Empfindungen und Begierden der Seelen*  
mit



mit den Veränderungen und Bewegungen des Leibes überein. Sed de his omnibus jam pluribus erit dicendum.

## §. XVIII.

Tempus enim jam erit, ut singula seorsim tradamus, atque quid de anima ejusque sensationibus, quid de corpore ejusque motibus, modoque quo hæc omnia contingere systematis hujus patronis dicuntur, iidem doceant, ex ipsorum jam percipiamus ore. Atque ut de priori, illisque quæ ad sensitivam facultatem pertinent, primo jam dicamus loco, suspicari quis jam facile ex dictis poterit, quomodo ex eorum mente anima sensationes suas producat. Ad instar enim automati se solum habet, quod internum habet operationum suarum principium, & ex eodem interno principio omnes suas variationes & mutationes deducit. Secundum hoc ergo systema nullas extrinsecus anima adsciscit ideas, nullas ex organis sensorii imagines accipit, sed motu automatico, hoc est ad modum automati, modo licet spiritualitati animæ convenienti, eadem omnia ex se ipsa elicit, & per se ipsam sibi repræsentat. Quemadmodum enim Leibnitiuſ hæc in genere de suis monadibus asseruerat, sic eadem etiam de anima in specie prædicat, utpote quam ex monadam numero esse defendit, quando eandem æque ac monades mundum, & speciatim corpus suum, repræsentare monadolo. §. 63. scribit. Ita enim ibidem loquitur: *ob gleich eine jede erschaffene monade das ganze Welt-Gebäude abschildet; so repræsintiret sie doch viel deutlicher denjenigen Körper, von welchem sie ins besondere afficirt wird, und dessen entlechia sie ist. Und gleichwie dieser Körper das ganze Welt-Gebäude, vermöge der Verknüpfung aller in dem befindlichen Raum befindlichen Materie, ausdrücker; so schildert auch die Seele das ganze Welt-Gebäude ab, indem sie diesen Körper, welcher ihr auf eine so besondere manier zugehöret, abschildet.* Clarius autem adhuc hac de re loquitur in respons. anti-Baillanis p. 70. not. 5. Es ist vielmehr besser, inquit, daß man sagt, Gott habe in einer jedweden Seele eine concentration der Welt oder die Kraft geleyet, wodurch sie sich das ganze Welt-Gebäude, nach dem ihr eigentümlichen Stand oder Punkt, den sie in der Welt einnimmt, und woraus sie dieselbe betrachten kan, vorzustellen vermögend ist. In isto autem adversus Clarkium scripto §. 84. modum, quo juxta systema influxus, anima sentire & mediantibus organis externis perceptiones suas instituire dicitur, expressis verbis rejicit.

In specie quomodo sensationes animæque perceptiones juxta idem fiant.



cit. Ich gebe, inquit, denen Begriffen der gemeinen Weltweisen keinen Beyfall, als wenn die Bilder der Sachen, durch Hülffe der Sinnen, in die Seele gebracht oder transportiret würden. Denn es ist nicht begreiflich, durch welche Oeffnung oder durch was für ein Fuhrwerck die Überfabrt der Bilder von denen organıs sensoriıs bis an die Seele geschehen könne. Nihil ergo imaginum aut idearum extrinsecus ad animam pertinere, sed vi sua mundi representativa eandem sibi omnia, quęcunque in mundo fiunt & in corporum sensuumque organa incurrunt, representare, vir illustis statuit. Mentem hanc Leibnitianam clarius adhuc proponit pluribusque illustrat celeb. Dn. WOLFFIUS in *metaphysica* sua. Postquam enim animę §. 753. vim mundi representativam (quibus argumentis, quo robore præditis, deinceps videbimus) adscripserat, aperte §. 777. fatetur: *derowegen da der Leib gar nichts zu den Empfindungen in der Seele beyträget; so würden alle eben so erfolgen, wenn gleich gar keine Welt vorhanden wäre; welches auch Cartesius erkandt &c.* Ja, pergit, es erhellet aus dem, was oben erwiesen worden, daß wir auch alles auffer uns sehen, hören und auf andere art empfinden würden, wenn gleich auch von körperlichen Dingen auffer uns nichts da wäre, (§. 764.) qui locus instar multorum aliorum, imo omnium reliquorum, huc spectantium, esse potest. Ad illustrationem tamen rei adhuc facit illud Leibnitii exemplum, quod de musico quodam, speciatim *einem Kirchen und Operisten - Sänger*, uti ipse vocat, dedit in *respons. anti - Baltianis p. 90. not. dd.* quodque ex eo loco jam adduxi in *dissert. de anima sibi ipsi ignota poster. sect. III. §. 10. p. 18.* asserit enim de eodem, daß er nach den vorgelegten Noten singen, auch die rechten Stücke in dem musicalischen Buch aufschlagen könne, ohne daß seine Augen in seine Seele, oder seine Seele in seinen Körper wücke. Atque de notis musicis putat, daß sie dem Gedächtnis der Seelen von dem ersten Augenblick ihrer existence an eingepägt, sie wücke aber dieselbe erst aus sich heraus zu der Zeit, da ihre Gliedmassen durch die Noten gerübet werden. Quodsi ergo, secundum hoc systema, in templo aut alibi in frequenti hominum concione multas multorum hominum quis viderit facies, non demum tum temporis illę imagines per sensuum organa, speciatim visus, ad animam feruntur, sed jam ante in eadem quasi delitescunt, eo autem solum tempore producuntur, quo in organo visus ab externis obje-



objectis similes repræsentationes fiunt. Eodem modo in publica privataque conversatione nemo alterius verba loquentis proprie audit, sed omnia illa ab anima jam ante comprehenduntur, tum autem demum, quando sonus ad organum auditus appellatur, ab anima sibi repræsentantur. Sic & in disputationibus academicis, nec opponens respondentis, nec respondens opponentis, rationes & argumenta per organum auditus ad animam transmittit, sed oppositiones opponentis jam ante in anima respondentis, & vice versa, rationes & solutiones respondentis jam ante in anima opponentis quasi delitescunt, ipso autem durante disputationis actu demum evolvuntur, excitantur, sibi que ab anima repræsentantur, prout scilicet verborum sonus organum auditus successively ferit. Quæ omnia non in contemptum hujus systematis, aut ut risum lectori moveam; sed ut eo clarius autorum & defensorum hujus systematis sententia, ipsaque ejusdem, qua sensitivam animæ facultatem, ratio eo facilius patefcat, adduco. Impossibilia enim absolute hæc omnia non esse, vel ipsa nos docent somnia, utpote in quibus omnia ita nobis sæpius contingunt dormientibus, quemadmodum, juxta hoc systema, vigilantibus evenire dicuntur. Hominum sæpius videmus concionem, quorum omnium vestes, vestium colores, genus &c. ipsosque vultus distinguimus, cum tamen ne unicuique nobis homo adsit. Audimus distinctas aliorum voces, vocum percipimus sensum, præterquam ut loquens ad nos præfens sit. Disputamus sæpius acerrime, auscultamus dissentientis objectiones, ad objectiones respondemus, iterumque exceptiones audimus, cum tamen nemo verba ad nos faciat: atque de his omnibus, quamdiu nondum expurgiscimur, tanquam vere evenirent, certissimi persuasissimique sumus. Verbo: quæcunque vigilantibus nobis in vita communi obvia sunt, dormientes somniis æque fere perfecte imitamur & exprimimus, licet nihil earum rerum extra nos adsit. Quo sententiæ hujus verus ergo sensus patefceret, adducere hæc modo volui.

## §. XIX.

Quibus autem hæc sententia fulciatur rationibus, quibus nitatur fundamentis, in quantum a Leibnizio proponitur, jam supra vidimus. Operæ ergo pretium erit, ut, quibus eandem celeb. Dn. Wolffius superstruat, videamus, & numne ea afferat, quæ

Atque in earundem fundamenta quæ celeb. Wolf-

majo-



fius ea de  
re tradit,  
inquiritur.

maiores præ se ferat probabilitatem & in probando soliditatem, quam in Leibnitianis deprehendimus rationibus. Fictionibus enim illa, quam demonstrationibus similia esse, quæ in monadologia sua hac de re tradit, quilibet ex illis, quæ adducta jam ex eadem, & monita de iisdem sunt, facile deprehendet. Ad celeb. itaque Wolffii rationes & demonstrandi modum attendamus. Nec enim putaverim, ipsum virum celeb. a lectoribus suis postulare, ut autoritate sua, quam magnam alias inter eruditos esse non inficior, moti positiones suas amplectantur, cum ipse principium rationis sufficientis, non sine causa, ubique urgeat, omniaque, quæ cum eodem non conveniunt, ipse rejiciat atque damnet. Vidimus jam supra, virum celeb. Leibnitii de monadibus sententiæ non accedere, siquidem non omnibus in genere simplicibus vim mundi representativam tribuit: in ceteris tamen ita fere philosophatur, ut cum Leibnitio conveniat. Scilicet tribuit simplicibus in genere vim internam, determinationes graduum, mutationem status intrinsecam, nisum ad statum illum mutandum, non nisi gradibus eadem differre statuit, statum etiam eadem suum perpetuo mutare asserit, uti ex §. ejus, superius §. 15. allegatis, constat, quanquam §. 598. itidem *l. c.* adducto, determinare nondum audeat, in quonam mutatio illa status intrinseci consistat, nedum cum Leibnitio defendere, quod vim mundi representativam constituat. Sed in his omnibus multa, quod pace viri celeb. dixerim, æque ac a Leibnitio plurima, assumuntur, non probantur, quanquam probasse sibi vir celeb. forsitan videatur, v. c. quando §. 106. ex eo, quod id, quod in simplicibus perdurans est, certis limitibus gaudet, ex illis limitibus, quandoquidem nullis partibus simplicia consent, nihil nisi determinatum gradum oriri posse contendit. Subtiliora quidem hæc sunt, nihilque in illa thesi situm esse, erunt forsitan, qui putabunt; dabo tamen, quod ad fundamentales positiones viri celeb. in capite de simplicibus pertinet, ipsius celeb. viri verba. Dudum enim observavi, non in capite, sed in pedibus, aggrediendum virum celeb. esse, hoc est, non onerandas positiones ejus, ubi ad altum excreverunt & robur acquisiverunt ex suis præmissis, esse consequentiis exosis ipsique molestis; sed ipsa probe exploranda esse principia, atque prima, quod dicere solent, in herba premeda, ne quando in stemma jam satis robustum, aliis aliisque succes-



successive his impositis munitionibus adoleverunt, vires oppugnantis elidant. Atque in eo etiam, nifallor, id acturus sum, quod ipse vir celeb. in schediasmate: *Erinnerung, wie er es künftigt mit den Einwürffen halten wil, die wider seine Schrifften gemacht werden*, quod metaphysicæ ejus est annexum, ab illis, qui dissensuri a se sint, postulat. Ita autem verba viri celeb. *l. c.* habent: *Die einfachen Dinge sind würcklich da (§. 76.), und können vor sich nicht aufhören (§. 102.). Derowegen muß in ihnen was fortdaurendes anzutreffen seyn. Dieses hat entweder Schrancken oder nicht. Da es nun in sich untheilbar ist (§. 75.); so kan durch diese Schrancken nichts anders als ein abgemessener GRAD entstehen, den man sich vorstelllet, als wenn er aus andern geringeren Graden, gleichsam als aus Theilen, zusammen gesetzt wäre.* Hic vir celeb. vocabulum grad litteris majoribus ipse exscribi curavit, ut indicaret, se in demonstrando hoc gradu impræsentiarum versari, siquidem id ipsi usu est receptum, ut ejusmodi litteris majoribus legenda sistat, quæcunque vel explicare, vel demonstrare, conficit. Est autem in his viri celeb. verbis quod desiderem. Desidero 1) enim, quod vir celeb. ex determinatione simplicium non nisi determinatos gradus oriri posse, simpliciter modo asserit, & nullo, ne probabili quidem, argumento probat; 2) & id desidero, quod ulterius adhuc, sine probatione tamen iterum, progreditur, atque ex eo, quod non nisi determinatos gradus ex ejusmodi determinatione oriri posse asserit, actu eisdem jam adesse infert. Scilicet per gradus non intelligit gradus magnitudinis aut figuræ externæ, utpote quæ in simplicibus non dantur, sed, id quod ex subsequentibus patet, gradus vis cujusdam, aut nifus interni, quem simplicibus tribuit. Male ergo vir celeb. exinde, quod in simplicibus ex eorundem limitibus, si quid exinde prodire deberet, nil, nisi determinatus vis cujusdam internæ gradus, oriri potest, concludit, quod actu ipso exinde oriatur. Sed hoc ipsum est, quod sæpius in positionibus viri celeb. metaphysicis observavi: præmissas scilicet hypothetice ponit, sed ex illis deinceps thetice concludit, atque, quicquid concludit, aliis deinde fundamenti loco supponit.

## §. XX.

Nequis autem putet, injurias me viro celeb. facere, aliud  
adhuc asseram ex illa de simplicibus doctrina exemplum. Scribit

F

Doctrina  
ejusdem de  
simplicibus



disquisi-  
tio-  
ni, qua  
nonnullas  
theses, sub-  
jicitur.

bit vir celeb. §. 107: alle Veränderungen, die sich in einem Dinge ereignen können, sind abwechselungen seiner Schranken. Quæ thesis in se spectata adeo vera, in compositis æque ac simplicibus, est, ut nullum mihi hactenus exemplum in contrarium succurrat, atque quando §. 108. pergit: solcher gestalt müssen alle Veränderungen, die sich in einem einfache Dinge ereignen können, nichts anders, als abwechselungen der Grade seyn, (§. 106.) (quia scilicet ex determinatis limitibus non nisi determinati, juxta allegatum §, oriuntur aut oriri possunt gradus). Jedoch weil nichts ohne zureichenden Grund geschehen kan (§. 30.); so muß eine Abwechslung in der andern gegründet seyn, nemlich die folgende in der vorhergehenden, etiam illud concedi possit, si hypothetice & in genere a viro celeb solummodo asseretur; sed cum assertive hæc de simplicibus dicta intelligi velit, atque, quando occurrentium in simplicibus mutationum jam ratio reddenda est, ad hunc §. tanquam ibidem evictæ & demonstratæ jam eadem essent, se recipiat, probandum prius viro celeb fuisse, mutationes quasdam in simplicibus ex interno principio oriundas, & ordine sibi invicem succedentes, evenire posse. Leibnitius illud *monadol.* §. 10. supponit. Monuimus autem jam & ibi, §. scilicet 5to, non supponendum, sed probandum, illud fuisse. Non itaque sufficebat dixisse, daß alle Veränderungen, die sich in einem einfachen Dinge ereignen können, nichts anders als abwechselungen der Grade seyn; sed probandum erat, daß dergleichen Veränderungen, die nichts anders als abwechselungen der Grade seyn, sich in einem einfachen Dinge, idque ex interno & domestico principio, utpote de quo sublequentes §§. omnes loquuntur, wirklich ereignen. Non priori enim, sed posteriori, thesi subsequencia de simplicibus dogmata superstruuntur. Ejusmodi quid etiam est, quando §. 114. scribit: ein vor sich bestehendes Ding ist dasjenige, welches die Quelle seiner Veränderung in sich hat. Quid autem verba, quelle der Veränderung, sibi velint, ipse explicat §. 115: die Quelle der Veränderung nennet man eine Kraft; und solcher gestalt findet sich in einem jeden vor sich bestehenden Dinge eine Kraft. Est enim liberrimo ex arbitrio a viro celeb. assumpta definitio, quod substantia sit ens, quod principium mutationis, aut, juxta propriam ipsius explicationem, vim quandam, in se complexitur, accepto vocabulo in sensu activo; & tamen ex arbitraria hac definitione



tione statim, omni absque ulteriore probatione, concludit: *solcher gestalt findet sich in einem jeden vor sich bestehenden Dinge eine Kraft, illaque, tanquam satis evicta, deinceps ad ipsa simplicia applicat, imo ex his jam ulterius concludendo pergit §. 118. derowegen da in einem vor sich bestehenden Dinge eine Kraft anzu-treffen ist (§. 115); so muß auch bey Ihm eine Bemühung seyn, etwas zu thun (§. 117.), das ist, seine Schrancken zu ändern (§. 104. 107.).* Ita ergo vir celeb. absque ulla adducta ratione sumit, substantias omnes vim agendi in se habere, atque propterea etiam perpetuo agere; imo plurimas etiam exinde, magnique momenti conclusiones, ducit: & tacite tamen in ipso Leibnitio §. 116. reprehendit, *daß er dieses ohne Beweis erinnert, in actis scil. erud. Lips. a. M DC XCV. p. 155. seqq.* Quod in Leibnitio itaque reprehendit, ipse, quod ad oculum cuius patet, vir celeb. negligit.

## §. XXI.

Hæc omnia, quanquam ad argumenta, quibus a viro celeb. vis animæ repræsentativa probatur, speciatim non pertinent, duplicem tamen ob causam hic fuerunt adducenda: 1) ut specimen loco hæc esse possent, committi sapiuscule a viro celeb. in ipsis demonstrationibus saltus, licet forsitan vir celeb. ipse, quod clarissima certissimaque ei omnia videntur, idem non animadvertat; tum autem 2) quoniam generalia hæc simul principia quædam tradunt, quibus ipsæ de vi animæ repræsentativa probationes ex parte inniuntur. Ad ipsa enim hæc argumenta, quibus eadem animæ vis a viro celeb. probatur, quando jam progredimur, §. statim 744. legimus: *Da ein jedes vor sich bestehendes Ding eine Kraft hat, daraus, als aus einer Quelle, seine Veränderungen fließen, (§. 114. 115.); so muß auch die Seele eine dergleichen Kraft haben, daraus ihre Veränderungen herfließen, die wir oben in dem dritten Capittel aus der Erfahrung hergeleitet.* Sternitur, quod ex ipsis verbis manifestum est, via, aut fundamentum saltem aliquod remotum allegatur, ad asserendam illam, de qua loquimur, vim repræsentativam. Sed §§. illi, quibus hic ipse inniuntur, quique in eodem allegantur, 114. & 115. sunt illi ipsi, de quibus monitum modo §. 21. fuit, sumi illa, quæ in iisdem a viro celeb. afferuntur, non probari. Destrueto ergo, imo sua potius sponte collapsio, fundamento, labascit & omne, quicquid

Argumen-  
ta, quibus  
vis animæ  
repræsen-  
tativa pro-  
batur, exa-  
minantur.



eidem innitur, adeoque & hic ipse 744. §. ex eorum numero est, qui gratis dicuntur. Non nego autem, animæ competere vim, varias in se producendi repræsentationes, ideas, varios formandi conceptus, negarem enim animæ essentiam, si ea negarem; id tamen nego, competere eidem talem, qualis hic intenditur, vim perceptiones omnes, citra externum influxum, ex se ipsa, tanquam interno quodam & domestico principio, eliciendi atque evolvendi. Nec tamen simpliciter nego, verum ex adductis a viro celeb. fundamentis saltem non sequi eandem ostendo. Sed primarium argumentum, quo hæc vis repræsentiva animæ a Viro celeb. probatur, §. 753. se nobis offert, quem §. quoniam sæpius ad eundem in probationum & conclusionum progressu vir celeb. tanquam primarium hujus positionis fundamentum, provocat, totum hic inferam: *ich habe schon oben, inquit, angemercket, daß die Empfindungen sich nach den Veränderungen richten, die sich in den Gliedmassen der Sinnen ereignen, (§. 219.) und uns die Körper in der Welt vorstellen, welche unsere Sinne rühren (§. 217. 220.). Diese Körper aber sind ein Theil von der Welt (§. 606.). Und also stellet sich die Seele einen Theil der Welt vor, oder so viel von der Welt, als es die Stellung ihres Körpers in der Welt leidet: folgens da die Wirkungen der Seelen von ihrer Kraft hervühren (§. 744.), hat die Seele eine Kraft sich die Welt vorzustellen, nach dem Stande ihres Körpers in der Welt.* Hic est ille §. cui tantopere vir celeb. fidit, quemque ubivis pro fundamento fere & bati, in probando hoc argumento, allegat. Vel me autem tacente cuivis facile obvium erit, non probari eodem a viro celeb. quod probandum erat. Etenim nihil hoc §. probatur aliud, quam quod a nemine negatur, quodque in omni systemate, & influxus scilicet, & causarum occasionalium, præter hoc nostrum, conceditur. Largiuntur enim omnes, qui duas in homine partes admittunt, nisi scepticorum ineptissimi fuerint, respondere animæ perceptionibus mutationibus, quæ in sensuum organa contingunt, nec vel Aristotelicus, aut quisquis influxum defendit, vel Cartesianus, negat: largiuntur etiam, perceptiones animæ repræsentare corpora mundi, quæ sensuum organa afficiunt; largiuntur, corpora illa esse partes mundi, animamque adeo partem mundi repræsentare: largiuntur etiam, illam mundi speciatim partem animam repræsentare, quam pro sui in mundo corporis situ repræsentare potest: tandem etiam largiuntur omnes, animam



nam vi quadam, qua sibi mundum repræsentet, pro hoc ipso corporis sui situ, pollere; qui enim hoc negaret, negaret perceptiones in anima dari, habere animam, aut habere posse, de mundo, hacque speciatiim aut alia ejus parte, ideas. Quotquot igitur sensationes in anima dari largiuntur, ea, quæ vir celeb. hic probat, sine omni probatione eidem lubentissime concedent. In eo ergo non consistit controversiæ status, idem etiam illud non est, quod, ut systema harmoniæ præstabilitæ sibi constaret, probatione indigebat; sed hoc viro celeb. erat probandum, animam, citra ullum corporis influxum sensuumque physicum concursum, virtute pollere, rerum sibi imagines ex se ipsa, tanquam domestico principio, repræsentandi, eodemque omnia in se ipsa evolventi ordine, quo extra eam in mundo ipso contingunt. Verum hoc est, quod a viro celeb. hoc in loco probatum non est, quod ex ejus etiam præmissis nunquam nec sequitur, nec sequetur. Maximus ergo a viro celeb. relictus est in demonstrationibus hisce, qua hanc systematis harmoniæ præstabilitæ partem, hiatus, qui supplendus prius erit, quam conclusiones suas exinde vir celeb. formet. Quamdiu enim hoc nondum fuerit probatum, & tamen conceditur, sentire animam atque percipere ea, quæ extra eandem in mundo geruntur, negari etiam nondum potest, ideas rerum per organa sensuum ad animam deferri, atque ex illis imagines rerum eandem recipere. Hoc ergo durante in demonstrationibus viri celeb. hiatu, frustraneæ sunt omnes ejusdem subsequentes conclusiones, quæ hoc §. tanquam basi suæ nituntur.

## §. XXII.

Pergimus tamen, hoc non obstante, in recensendis illis, quæ ad intelligendum explicandumque hoc systema ab ejusdem patris ulterius afferuntur. Nondum enim hæc omnia sunt, quæ ab iisdem, vel qua solam etiam sentiendi facultatem, monentur. Explicent enim hætenus allata in genere modo, quomodo sibi animam, qui hoc systema defendunt, concipiant, quidque eidem, ut sensationes ejusdem explicare commode possent, tribuant. Restat, ut videamus, quid requirant, aut quid eidem adscribant, quo perpetua cum illis mutationibus, quæ in corpore sensuumque speciatiim organa eveniunt, servetur consensus & harmonia. Scilicet non contenti sunt, animæ vim mundi repræsentativam tribuisse,

Præter vim  
repræsen-  
tativam  
tribuitur  
etiam ani-  
mæ perpe-  
tua succes-  
sio percep-  
tionum.



sed, ut id, quod caput rei est, uberius adhuc explicent, pergunt tribuuntque animæ vim, constanti atque nunquam interrupto ordine omnia ita repræsentandi, quemadmodum in mundo ipso eveniunt, ita, ut repræsentationes animæ ne momento quidem temporis vel tardius, vel citius, contingant, quam ipsæ mutationes in organo sensuum fiunt, eademque ab ipsis corporibus mundi efficiuntur. Leibnitii sententiam jam ea repræsentant, quæ §. 19. ex anti-Bailianis ejus scriptis fuerunt adducta de musico, in cuius anima se tum demum notæ musicæ repræsentant, quando externæ, in charta expressæ, oculos ipsius feriunt: patet & eadem ex *monadol.* §. 65. qui jam §. 13. fuit adductus. Superest ergo, ut celeb. etiam Wolffii mentem ea de re audiamus. Ita autem vir celeb. *methaphys.* §. 774. loquitur: *die Zeit ist nichts anders als die Ordnung der Dinge, die in der Welt auf einander folgen (§. 94.). Da nun die Seele sich alles haarklein so vorstellt (§. 769. 773.); so ist unter den Gedancken die auf einander folgen, eben die Ordnung, als zwischen denen Dingen, die in der Welt aufeinander erfolgen, und demnach beyderseits einerley Zeit. Item § immediate sublequente 775: da nun die Vorstellungen in der Seele in eben solcher Zeit geschehen, da dasjenige, was sie vorstellen, vorgehet, (§. 774.); so müssen die Empfindungen jederzeit mit den Veränderungen in den Gliedmassen der Sinnen übereintreffen, und ist nicht möglich, daß die Empfindung zu fruhe oder zu späte kommt. Tandem & §. 776. und hieraus ersiehet man auch, daß die Empfindungen in der Seelen in dem Augenblick da sind, da die Veränderung in den Gliedmassen der Sinnen sich ereignet.*

## §. XXIII.

Fundamen-  
ta perpe-  
tue hujus  
successionis  
recensentur,

Quodsi autem rationem jam ordinatissimæ hujus successionis perceptionum, & harmoniæ earundem perpetuæ cum ipsis sensuum organo, quærimus, variam videmus eandem reddi. Non contentus tamen est celeb. Wolffius, si hic immediate recurratur ad DEVM, ejusque præstabilitionem *metaph.* §. 766., siquidem alias cum Cartesio ad immediatam DEI voluntatem confugiatur; sed ostendendum esse ipse urget, quomodo possibilis ejusmodi harmonia ipso sit actu & per causarum secundarum naturam. Si itaque colligantur, quæ sparsim fundamenti loco adducuntur, rationem quæri deprehendimus partim in ipso mundo, quem anima repræsentat, partim in *anima ipsa*, partim in *corpore*,



poris, cui anima praest, in mundo situ. Primum allegatur a LEIB-  
 NITIO, monad. §. 65. cuius in §. anteced. modo facta mentio fuit;  
 Repetam autem eundem h. l. da eine jede monade, inquit, nach ih-  
 rer Art ein Spiegel des gantzen Welt-Gebäudes ist, über dieses auch  
 die Welt nach einer vollkommenen und ausbündigen Ordnung ver-  
 fasset ist; so muß auch eine Ordnung in demjenigen seyn, welches  
 dasselbe abschildert, das ist, es muß eine Ordnung in den perceptio-  
 nen der Seelen und folglich in dem Körper seyn, nach welchem das  
 Welt-Gebäude in der selben vorgestellet und ausgedrucket wird. Qui-  
 bus verbis remota solum videtur indicari hujus ordinis causa,  
 proxima autem a viro illustri in ipsa anima quaeritur, ita tamen  
 ut partim in anima ipsa, partim in objecto, quod ab anima repræ-  
 sentatur, collocetur. Prius indicat vir illustris, quando mona-  
 dol. §. 18. animam avtomatum, spirituale scilicet, vocat; expres-  
 sis autem verbis asserit, quando animæ certas appetituum series  
 & causarum finalium leges tribuit, secundum quas perceptiones  
 suas producant. Nolo verba ejusdem huc facientia, & sub si-  
 nem §. 18. jam adducta, hic repetere. Opus tamen est, ut lectio-  
 ne saltem repetantur. Posterior ratio, quæ in ipso objecto, quod  
 ab anima repræsentatur, sive potius repræsentatione ipsa, materia-  
 liter & ratione objecti considerata, quaeritur, a viro illustri par-  
 tim in verbis, ex BVLFFINGERO §. 18. adductis, jam proponi-  
 tur, partim etiam passim pluribus illustratur. Profert scilicet illam  
 in sto adversus Clarckium scripto §. 91. atque ita quidem profert,  
 ut magnam simul in ea fiduciam collocet, pro ipsius harmoniæ  
 systemate asserendo, ejusque possibilitatem demonstrando. Ita  
 autem ibidem loquitur: Gleichwie die natürliche Eigenschafft ei-  
 ner jedwedem simplen substance, oder einer Seele, oder eigentlichen  
 monadis, so beschaffen ist, daß ihr folgender Zustand eine Folge aus  
 ihrem vorhergehenden sey: so ist eben hieraus der völlige Grund der  
 harmonie ausständig gemacht worden. Denn GOTT darff hiebey nichts  
 mehr thun, als daß jede simple substance, ein für alle mal,  
 und gleich von anfang an, eine Abschilderung des grossen Welt-  
 Gebäudes, noch dem Bezirck ihres Wesens, sey: vveil aus diesem alleine  
 folget, daß sie jederzeit eine solche Abbildung sey, und alle simple  
 substancen eine unverrückte und stete harmonie unter sich haben, an-  
 eruvogen sie allezeit einerley Welt-Gebäude vorstellig machen.  
 Idem etiam asserit in respons. Anti-Bailianis. Cum enim Bailius,  
 ut



ut hic perceptionum ordo in consensione perpetua cum ipsis in mundo effectibus conseruetur, requiri putaret, ut anima certis instructa instrumentis esset, quibus ordinem illum conservare posset, respondet p. 85. Leibnitius: Sie (instrumenta scilicet illa, a Bailio requisita,) sind eben die vorhergehenden Empfindungen selbst, woraus die folgenden secundum leges appetituum erwachsen, & p. 97. der gegenwärtige Zustand einer jedweden Seelen ist eine natürliche Folge aus seinem vorhergehenden Zustande. Ratio ordinis igitur perceptionum secundum haecenus dicta est, quod perceptiones in se ipsis sint fundatae, ita, ut subsequentes ex antecedentibus consequantur, & antecedentes subsequentibus quasi sint gravae. Ita enim ipse loquitur LEIBNITIUS Theodicea §. 59. edit. german. p. 667: das ist eine Regel aus meinem systemate von der allgemeinen Ubereinstimmung, daß das gegenwärtige mit dem zukünftigen allezeit schwanger gehet. Convenit autem etiam in his cum Leibnitio celeb. VVOLLFIVS. Primam enim & secundam rationem, haecenus verbis Leibnitii confirmatam, ille §. 767. conjungit, quando inquit: Es ist demnach zu mercken, daß die Veränderungen in der Welt alle in einer unverrückten Ordnung auf einander erfolgen (§. 544.), und, weil gleichfalls in der Seelen der vorhergehenden Zustand den Grund von dem folgenden in sich enthalten muß (§. 108. 742.), die Empfindungen in der Seelen gleichfalls in einer unverrückten Ordnung auf einander erfolgen. Da nun die Empfindungen die Veränderungen in der Welt vorstellen (749); so ist nur nöthig, daß sie im anfang einmahl mit einander in eine Harmonie gebracht worden, und es kan nach diesem dieselbe beständig fortdauern &c. Priorem autem harum separatim tradit §. 769: weil demnach die Seele eine Kraft hat, sich die Welt vorzustellen (§. 753.), so müssen auch diese Vorstellungen eine Aehnlichkeit mit den Dingen haben, die in der Welt sind. Denn wenn sie keine Aehnlichkeit hätten, so stellet die Seele ihr nicht die Welt, sondern etwas anders vor. Idem repetit vir celeb. §. 786: Es ist hier überhaupt zu mercken, daß, wenn man fräget, warum eine Empfindung auf die ander folget, man keinen andern Grund anzeigen kan, als warum in der Welt ein ander Zustand der körperlichen Dinge, die wir empfinden, erfolget. Denn da die Vorstellungen der Seelen eine Aehnlichkeit mit den körperlichen Dingen in der Welt haben (§. 769); so verhalten sie sich zu ihnen wie ein Gemähde, oder ein



anderes Bild, zu der Sache, die es vorstellet (§. 751.). Quis non videt, ipsissima fere hæc esse verba, quibus Leibnitius hoc in argumento fuerat usus? adeo accurate & presse vestigia ejus vir celeb. hoc in passu legit. Nolo autem præter necessitatem verba viri celeb. hic cumulare. Torus enim alias adhuc adscribendus hic esset allegatus §. 786. & plurimi alii, in quibus sæpius adhuc eadem repetuntur.

## §. XXIV.

Ad tertiam potius progredior rationem, verbis illustris LEIBNITII & celeb. WOLFFII itidem probandam. Et in hac enim denuo uterque convenit, putantque, perceptiones varias ex situ corporis, quod anima inhabitat, in mundo etiam quam maxime pendere. Prioris verba jam adducta passim sunt, ideoque exinde paucis modo in memoriam erunt revocanda. Pertinet autem huc verba ejus in *respons. anti-Bailianis p. 70. not. s. Es ist vielmehr besser, daß man sagt, Gott habe in einer jedweden Seele eine concentration der Welt, oder die Kraft geleyet, wodurch sie sich das gantze Welt-Gebäude, nachdem ihr eigenthümlichen Stande oder Punkte, den sie in der Welt einnimmt, und woraus sie dieselbe betrachten kan, vorzustellen vermögend ist. Eodem fine & consilio dicuntur, quæ in monadol. §. 58. legimus, ubi de monadibus suis, quibus, quod jam constat, animas etiam nostras annumerat, asserit, daß sie so viel perspectivische Abrisse einer einzigen Welt sind, nachdem sie von einer jedweden monade aus verschiedenen Ständen und Gegenden betrachtet und abgechildert wird. Clarius autem hæc omnia adhuc edisserit celeb. WOLFFIUS l. c. §. 753. ubi inquit: die Seele stellet sich einen Theil der Welt vor, oder so viel von der Welt, als es die Stellung ihres Corpers in der Welt leidet; §. 735 autem data opera hoc argumentum explicat. Præmissis enim paucis de eo, quod nulla finita vis universum mundum unico sibi momento repræsentare queat, sed aliquid saltem ejus sibi sistere possit, pergit: Unterdeßsen da alles mit zu reichendem Grunde geschehen muß (§. 30.); so muß es auch dergleichen haben, warumb die Seele sich jetzt diesen, nachdem aber einen andern Theil der Welt, sich deutlich vorstellet. Derowegen da unser Leib jedesmahl einen gewissen Ort in der Welt einnimmt, und nicht ohne gungsamem Grund in der Natur ihn ändert; so läßet sich nicht allein die Welt nach dem Stande dieses Corpers in der Welt*

G

Idem continuatur argumentum, atque tertie repræsentatur ratio.



und seinen Veränderungen darinnen vorstellen, sondern wenn dieses geschieht, hat es auch jederzeit seinen zureichenden Grund, warumb in der Seele jetzt dieser, jetzt ein ander Theil, von der Welt vorgestellt wird, und warumb sie von dem erstern auf den andern kommt. Quid? quod §. 788. exinde aliquod inter ipsas animas oriri discrimen asserat. Mundum enim tot modis dicit ibidem representari posse, quot corpora sensibus prædita in mundo prodire queant, totidemque etiam, inquit, animas oriri posse, und zeigt sich, ita pergit, der Unterscheid der Seelen durch die Stellung derselben Körper in der Welt und ihren Veränderungen, die er haben kan, imgleichen durch die daher rührende Veränderungen in den Gliedmassen der Sinnen. Atque ut unicum adhuc adducam, reliquis plurimis prætermisissis, locum §. 789. adhuc inquit, die Natur habe seiner (hominis scilicet) Seele einen Leib zugeseller, der mit Gliedmassen den Sinnen begabt, weil seine Seele sich die Welt nach der Stellung dieses Körpers und denen in seinen Gliedmassen sich ereignenden Veränderungen vorstellt. Taceo alia loca, in quibus eadem iterum iterumque inculcantur, quandoquidem gemina modo his adductis sunt, nullumque alium fundunt sensum.

## §. XXV.

Eadem autem fundamenta, hætenus allata, jam excutiantur, speciatim ratio Ima.

Quemadmodum autem in superioribus jam monstravimus, lubrica esse, imo nulla, quibus hæc de anima meditationes innituntur, fundamenta; sic & de his rationibus omnibus, quibus modus & fundamentum successionis in perceptionibus atque sensationibus animæ explicatur, adseverare ausim, nullas easdem esse, idque, cujus gratia asseruntur, nulla ex parte probare. Etenim prima illa, quæ ab ordine rerum ipsarum, in mundo sibi succedentium, petitur, si præcise spectetur & citra connexionem cum reliquis, adeo infirma, imo incongrua, est, ut infirmior nulla magisque incongrua fere excogitari queat. Concedunt, quin defendunt, illust. Leibnitijs, celeb. Wolffius & quicumque cum illis faciunt, in anima omnes rerum ideas atque imagines ita jam, salted virtualiter, delitescere, ut nullo externo influxu opus sit, sed animam omnes ex se ipsa, tanquam fonte proprio & domestico principio, excitare, producere, evolvere. Perceptiones itaque omnes in anima, qua rem ipsam, qua ordinem, jam ita sunt determinatæ, ut mutari a nullo principio externo materiali queant. Cum itaque nullum corpus, adeoque nec ipse mundus, ali-



aliquas in anima ideas excitare queant, nec in eadem ordinem earundem influxu suo determinare, *da alle Empfindungen juxta ipsius celeb. WOLFFII verba §. 773, eben so erfolgen würden, wenn gleich keine Welt vorhanden wäre*; quæ ergo, quæso, qualis & quanta est, quando ratio reddenda est, cur ordine sibi perceptiones in anima succedant, exinde eandem desumere velle, quod res ipsæ eodem ordine in mundo fiant? Quid enim substantiis his cum mundo, cujus nullus in easdem influxus? Prævideo tamen, quid excipi pro hujus sententiæ defensione queat: recurri scilicet hic ad divinam præstabilitionem potest, imo recurrentum necessario est, si quis defensionem hujus rationis, de qua jam disceptatur, suscipere in se velit, Deum, dicendo, omnes perceptiones in anima ita præstabilivisse, quemadmodum vidit res ipsas se invicem in mundo subsequuturas esse, ut adeo fundamentum ordinis, in perceptionibus animæ, in ipso rerum in mundo contingentium ordine hoc modo recte quærat, imo & ponatur. Quanquam autem ipse celeb. WOLFFIVS §. 766. huc recurrentum esse negat, ipseque vult, ut ex natura causarum secundarum omnis ratio petatur: admitto tamen lubentissime hanc exceptionem. Sed nec sic res omnis jam est confecta, cujus hæc primaria est ratio. Dantur enim in mundo res non solum succedentes, sed & simul existentes, quarum perceptiones tamen in anima sunt successivæ. Sic e. g. sol & planetæ inde ab orbe condito simul existerunt, fueruntque adeo & ab orbe condito circumjoviales & satellites Saturni. Jam vero quisquis astronomiæ operam dare incipit, dudum ante, quam lunas Jovis & Saturni, mediante telescopio vel tubo optico, in cælo observat, solem jam vidit, adeoque ex rebus simul existentibus oritur hic ejus in anima quædam perceptionum successio. Contingit idem omnibus quotidie illis, qui peregre proficiscuntur, ubi urbes, pagos, sylvas, quæ antiquitate patriam suam vel æquant, vel etiam superant, nunquam antea sibi visas, videre & observare primum incipiunt. Hic concedo, rationum hujus successiois, secundum systema harmoniæ præstabilite, ex præstabilitione divina idearum ac sensationum in anima; nego autem, posse ex ipso ordine rerum in mundo sibi succedentium peti, quandoquidem illæ ipsæ res non succedunt sibi, sed simul sunt. In omnibus itaque illis perceptionibus animæ, qua res simul in mundo exist-



stentes successive demum cognoscit, ratio successione & ordine in ipso mundo quæri nequit, sed in sola præstabilitione divina acquiescendum, quod tamen adversus domestica est ipsius celeb. Wolffii principia. Repetam ejus verba ex adducto jam §. 706. und demnach, inquit vir celeb. wenn man den Grund davon (harmonia putat præstabilitæ) zeigen soll, ist nicht genug daß ich sage, Gott habe die Harmonie zwischen der Seele und dem Körper aufgerichtet: denn sonst verfiere ich mit Cartesio unmittelbar auf den Willen Gottes, welches wir nicht gelten lassen. Putat scilicet vir celeb. in illis rebus, ubi in re ipsa fundamentum inveniri non potest, non licere pro hypotheseos alicujus probatione ad solam Dei voluntatem recurrere: quam sententiam & ego ambabus amplector. *Vielmehr ist nöthig, daß ich zeige, wie dergleichen Harmonie möglich sey.* Et tamen hoc in dato exemplo dari nequit. In propria itaque vir celeb. impingit principia, nisi ad unicam adhuc se recipere exceptionem velit: rerum simul existentium si non in se, intuitu tamen repræsentationum, in sensuum organia factarum, dari successionem; ad quam tamen, quid respondendum sit, patebit quando tertia ratio erit diluenda.

## §. XXVI.

Hæc ratio,  
a natura  
animæ,  
qua percep-  
tionem av-  
tomatica,  
petita ex  
penditur.

Non majoris autem res erit difficultatis, de reliquis eodem modo ostendere rationibus, quam parum sibi consent. Quoad *secundam* tamen res mihi hic potissimum cum assertionibus Leibnitianis erit. Illud enim hujus rationis membrum, qua ordo perceptionum ex eo adstruitur, quod omnes perceptiones in se invicem ipsis sint fundatæ, ita, ut subsequentes fundamentum suum in antecedentibus habeant, hic loci non discutiam, sed, quia in ejus opposito primarium aliquod adversus hoc systema argumentum situm est, suo illud loco reservo. Prius ergo hic solummodo remanet examinandum membrum, quo vir illustis statuit, animam avtomatum aliquod spirituale esse, in quo modo, mechanico analogo, una perceptio ex altera sequatur, simulque adjicit, animas agere secundum leges causarum finalium, atque juxta easdem perceptiones omnes producere. Loquuntur hæc manifesto loca ejus sub finem §. 18. ex ejus *monadol.* & BVLFFINGERO adducta, quibus jungi adhuc §. 15. *monadolog.* potest, quo actionem interni principii, quod transitum ab una perceptione ad alteram producit, *appetitionem* dici posse scribit: ipsa verba



verba ejus vide §. 13. adducta. Ex mente itaque viri illustris anima nostra avtomatum spirituale est, in quo una perceptio ex altera sequatur, naturæ quædam necessitate, & tamen in iisdem perceptionibus legibus causarum finalium locum relinquit, statuitque progressum ab una perceptione ad aliam appetitum appellari posse. Priori libertas omnis perceptionibus & sensationibus denegatur, quæ ipsa sententia, si sensus subintelligantur recte dispositi atque ipso objecti appulsu affecti, omnium est philosophorum, atque nemo est, qui hoc sensu ullam perceptionibus atque sensibus libertatem vel tribuit, vel tribuere, salva veritate, queat; posteriori autem eadem libertas iisdem vindicatur. Avtomatum enim agit ex necessitate naturæ; quisquis autem actionem suscipit propter finem, adeoque secundum causarum finalium agit leges, ille liberrime quicquid agit, facit. Sic & in quocunque omnia ita sibi succedunt, ut alterum ex altero sequatur, in eo eatenus nulla est libertas, adeoque nec appetitui, nec causis finalibus, locus est. Quid enim ibi vel appetitus, vel causæ finalis, valent aut possunt, ubi successionis fundamentum non in sequentibus, sed antecedentibus ponitur, & ubi antecedentibus omnia ita consequuntur, ut non consequi non possint? Ubi enim propter finem agitur, status antecedens ex consequente fluit, quia propter finem media eliguntur, adeoque media sunt effectus finis, finis fundamentum mediorum: ubicunque autem status posterior est ex priori, ibi fini nullus est locus, sed omnia necessario consequuntur. Nisi ergo hæc contradictio est, quando perceptiones subsequentes omnes in antecedentibus ita fundatæ dicuntur, uti actiones avtomati posteriores in prioribus, & tamen simul asseritur, produci easdem perceptiones per appetitum, juxta leges causarum finalium, quid contradictio tandem, aut quæ talis sit, me fateor ingenue ignorare.

## §. XXVII.

Id tamen veritatis causa hic fateri oportet, intelligenda ex mente Leibnitii ipsiusque celeb. Wolffii de solis perceptionibus esse, imo ab ipsis illis celeberrimis viris de solis illis, non de reliquis animæ operationibus, intelligi, quando necessariam status subsequentis animæ ex antecedenti consecutionem iidem passim tradunt, ut adeo frustranea sit Dn. JOACH. LANGII in

Non tollitur tamen hac de perceptionibus doctrina animæ libertas.



modesta sua disquisit. novi system. Sc. cap. II. plac. III. p. 31. accusatio, quasi hac ipsa sententia omnis animæ tollatur libertas. Postquam enim vir rever. §. metaphys. Wolffianæ 786, a nobis iam §. 24. circa finem adductum, & §. 810. qui ita habet: *Weil die Seele durch ihre eigenthümliche Kraft die Empfindungen hervor bringet (§. 765), so kommen die Bilder und Begriffe der körperlichen Dinge nicht von aussen hinein, sondern die Seele hat sie in der That schon in sich, und wickelt sie nur gleichsam in einer mit dem Leibe zusammenstimmenden Ordnung aus ihren Wesen heraus, attulerat, p. 81. num. 3. inquit: Quis non videt, vi istarum hypotesium, que in locis, disquisitioni præmissis, (intelligit autem hos ipfos allegatos §. §.) patent, cogitationes & operationes animæ omnes e liberis, sublata libertate, reddi necessarias? Nam a) anima omnes ideas suas, quas de rebus corporeis sibi format, ex ipsa sua essentia evolvere dicitur. Quid autem est aliquid ex ipsa sua essentia evolvere, quam necessitate naturæ evolvere? Fontem harum suarum accusationem vir reverendus p. 62. n. 4. ipse, non satis circumspicte, prodir, quando inquit: quicquid in anima contingit, clarissimo auctori (intelligit Dn. Wolffium) ordinarie tantum perceptionum, der Empfindungen, in quibus passivitatæ notio est, nomine appellatur. Esse autem hæc contra celeb. Wolffii mentem, imo ipsam veritatem, dicta, ille solum negabit, qui vel libellum metaphysicæ Wolffianæ non legit, vel verum, affectu abreptus, fateri recusat. Etenim §. 747. vir celeb. expressis verbis scribit, ex eadem animæ numero vi, qua mundum repræsentat, præter sensaciones, etiam imaginationes, distinctos conceptus, ratiocinia, volitiones, noli-tiones aliaque ejusmodi plura produci, quemadmodum ex una eademque numero ignis vi, qua lucet, etiam proveniat, quod calefaciat, quod accendat, quod urat, quod comburat. Quanquam & hic mentem viri celeb. plurimi non rite assequantur, siquidem putant, virum celeb. ex eadem vi repræsentativa, quatenus repræsentativa est, omnes reliquas animæ facultates deducere; qua in sententia ipse etiam iterum rever. Dn. LANGIUS est, l. c. placito I. p. 68. seqq. & placito II. p. 70. seqq. illamque opinionem, de qua vir celeb. forsitan nunquam cogitavit, prolixissime refutat, & mirum, quas exinde consequentias deducat; cum tamen vir celeb. ex eadem solum vi, qua mundum repræsentat, reliquas facultates animæ derivet, quemadmodum ex eadem*



dem vi ignis, qua lucet, & calefaciendi, & urendi, & comburendi facultates, non autem ex eadem, quatenus lucet, fluunt. Distinguit etiam expressis verbis vir celeb. *vim* animæ ab ejusdem facultatibus adducto. §. 747, & in genere hæc duo distinguit §. 117. Clara hæc omnia sunt ex ipsa viri celeb. metaphys. deprehendentque quilibet, qui adhibito studio eandem legit: ex abundantiam tamen, quod male intellectam sententiam suam, & consequentiam exosis oneratam vir celeb. vidit, mentem hanc suam esse clarius uberiusque adhuc demonstravit, in editis nuper observationibus in metaphysicam suam: *Anmerckungen über die vernünftige Gedanken*, &c. p. 396. seqq. imprimis autem p. 406. ad §. 754. vid. & monitum ejus ad commentat. lucul. §. 9. p. 14. Sed hæc modo obiter monere volui: redeo ad rev. Dn. Langium. Ille enim in incufationibus suis, quod scilicet necessaria illa perceptionum consecutione omnis animæ libertas tollatur, adhuc l. c. plac. IV. p. 85. seqq. pergit. Inprimis vir. rever. ad §. 226. metaph. qui ita habet: *Wir empfinden auch, daß es eben so wenig in unser Gewalt stehet, ob wir etwas empfinden wollen oder nicht. Denn so bald die äusserlichen Dinge die gehörigen Veränderungen in den Gliedmassen der Sinnen verursachen, müssen wir uns dieselben auch vorstellen. Und daher sind die Empfindungen nothwendig, so wohl in Ansehung ihres Daseyns, als in Ansehung ihrer Beschaffenheit* (§. 36.), ita p. 86. num. 3. commentatur: *Et quid sibi vult generale illud assertum §. 226. de eo, quod perceptiones animæ tam ratione presentie, quam ratione qualitatis suæ necessariae sint: hoc; inquam, assertum, cum hypothesi illa, qua negatur ideas & perceptiones animæ in ea subsidio sensuum excitari, collatum, quid indicat, quam fatum animæ absolutum?* Notatu dignus etiam est viri rever. locus p. 157. num. 6. ubi ad verba Dn. Wolffii ex commentat. lucul. §. 21: *quævis enim dicas, animam in producendis istis perceptionibus non esse liberam, sed ex necessitate naturæ agere; quid inde detrimenti in libertatem redundat?* respondet: *tantum inde redundat detrimentum, ut, præter inane & lusorium libertatis nomen, de libertate ipsa ne tantillum quidem remaneat. Habemus hic, quod probe notandum, manifestam fati seu necessitatis absolutæ confessionem de ipsa anima. Quis, quæso, hic non miratur verba viri reverendi, ab eodemque inter argumenta fatalis necessitatis, Stoicisimæ & Spinosisimæ, quæ omnibus fere in paginis celeb. Wolffio obtru-*



obtrudit, allegari & id, quod sensationes animæ necessarias esse, sensibusque libertatem nullam competere, idem adstruit? Desinet, cogitabam, cum hæc primum legerem, mirari posteritas, impingere Stoicam necessitatem ipsumque Spinozismum celeb. Wolffio, qui multis in locis adversus illud *βέδωγμα* strenue militat, rever. Dn. Langium potuisse, quando videbit, inter alia a sensuum necessitate, pro hac pallianda imputatione, esse desumptum argumentum. Sed videmus hic (liceat mihi hanc confessionem edere) præsentissimos neglectæ sanæ philosophiæ fructus. Quis enim, æternæ Deus, unquam sensus necessarios esse, ita ut quis, positis omnibus ad agendum requisitis, non possit non videre, audire, sapere, olfacere, reliquosque ejusmodi in aliis sensuum organis percipere tactus, negavit, aut, quis unquam exinde argumentum, pro fato absoluto, Stoico ipsoque Spinozismo imputando, desumptum vidit?

## §. XXVIII.

Continua-  
tio argu-  
menti.

Et tamen hæc nuper demum alio in loco vir rever. repetit. Edidit ante paucas hebdomades: *Bescheidene und ausführliche Entdeckung der schädlichen Philosophie in dem Wolffianischen Systemate metaphysico, von Gott, der Welt und dem Menschen* Sc. Hale in typogr. orphanotr. anno 1724. in 4. in quo toto scripto, quemadmodum nihil præter modestam suam disquisitionem, germanice modo redditam, pluribusque verbis diductam, si sectionem 4. in qua in philosophiam moralem celeb. Wolffii inquit, excipias, exhibet; sic & imputationes, in disquisitione illa factas, in omnibus hic paginis repetit, ideoque & ad §. 226. jam ante adductum, ab accusationibus suis nil quicquam remittit. Sed ne hic quidem subsistit, verum præter mentem viri celeb. verba ejus eo adhuc detorquet, tanquam toti sentiendi actui, qua animam & corpus spectato, absolutam ille necessitatem tribuat, l.c. sect. II. thes. 5. n. 2. p. 133. Et cum ipse vir celeb. metaphys. §. 229. huic ipsi sententiæ expressis verbis obviam eat; ut modo suæ imputationi locum relinquere queat, nec ipsum virum reverendum maligne cum celeb. Wolffio egisse appareat, contradicere hunc hoc in §. 229. sibi ipsi dicit. Sed ejusmodi pessimæ, malignæ, & vel ex ignoratione elenchi, vel contra conscientiam etiam, factæ detorsiones, quemadmodum in modesta jam disquisitione, sic in ipso inprimis hoc scripto commissæ, ubivis obviæ sunt, ut non pessim-



sine indignatione in omnibus fere paginis deprehenderim, quam pessime & contra, quam bonum virum decet, in explicandis & confutandis Wolffianis scriptis vir rever. fuerit versatus. Fateor, non observare hæc, nec observare posse, qui Wolffiana scripta non legit: illi enim mirifice sua vir reverendus approbat, atque celeb. adversus Wolffium legentis animo internecivum odium felicissime ingenerat; quisquis autem Wolffiana prius legit, verumque viri celeb. sensum ubivis assecutus est, is suam, in infinitis fere detorsionibus, cum animi moderatione legendis, patientiam hic exercere potest. Adeo in argumento, quo fatalis viro celeb. obtruditur necessitas, quodque omnem fere paginam facit, nulla fere occurrit linea, quin vel mentem viri celeb. pessime, ex verbis ejus passim excerptis, explicet, vel a statu controversiæ defleat, vel injustissimis etiam detorsionibus, non sine stomacho legendis, locum faciat. Idem autem in multis adhuc aliis argumentis observare licet. Sic enim v. c. de simplicibus jam supra vidimus, quod in eorum numerum elementa mundi quidem a celeb. Wolffio referantur, ita tamen, ut illis vim mundi repræsentativam nondum tribuat; ideoque &, se illa pro infima substantiarum repræsentatarum specie habere, expressis verbis §. 900. jam supra adducto negat. Langius autem, hoc non obstante, scribit *l. c. sect. 1. cap. 3. thes. 1. p. 69.*: *Das Systema Wolffianum machet vier Gattungen der einfachen Dinge, nemlich die Elemente der sichtbaren Welt, die Seelen der Thiere, die Seelen der Menschen und GOTT selbst, & de his simplicibus ita de scriptis, p. 71. thes. II. pergit: Der Herr Autor eignet den vier Arten der einfachen Dinge, als Geistern, unter einerley Haupt-Definition, einerley bloß geistliche Natur und Wesen zu, so in der die Welt vorzustellenden, oder von körperlichen Dingen nur ideisirenden Kraft, bestehen soll.* Hic ad ea solum respicio verba, quibus vir rever. celeb. Wolffium elementis vim repræsentativam tribuere asserit; quod quo rubore per superius dicta dicere queat, quivis videt. Ejusmodi quid autem etiam est, quando Dn. Wolffium elementa mundi in spiritus transformare scribit. Mitto verba jam adducta, & alia modo assero, quibus *l. c. p. 68. n. 4.* celeb. Wolffio tribuit, *daß er auch die erste Gattung der einfachen Dinge als Geister beschreibet, sie auch für Geister hält, und sie nichts desto weniger*

H

auch



auch für Elementa ausgiebt, daraus die gantze sichtbare Welt zusammen gesetzt seyn soll. Repetit hæc p. 75. thes. 1. & ut dicta probaret, provocat ad §. 898. ibique celeb. Wolffium hæc scribere dicit: Es ist nichts daran gelegen, wenn wir auch den Seelen der Thieren und überhaupt allen einfachen Dingen den Nahmen eines Geistes beylegen. Sed quam subdole hic vir rever. agat, cuius patebit, quando integrum celeb. viri hic leget locum. Ita autem l. c. ille: Ob zwar die Benennung keine Aenderung in der Sachen hervorbringet, und demnach nichts daran gelegen wäre, wenn wir auch den Seelen der Thiere und überhaupt allen einfachen Dingen den Nahmen eines Geistes beylegen; so finde ich doch vor wahrhsamer, daß man den Nahmen des Geistes bloß denjenigen einfachen Dingen vorbehält, die Verstand und Willen haben, damit man nicht aus der Unbeständigkeit im Reden nachdem die Eigenschaffren der einfachen Dinge vermenger, und einem etwas beyleget, was ihm nicht gebühret. Et sub finem §. expressis verbis vix celeb. adhuc asserit, daß das Wesen eines Geistes von dem Wesen anderer einfachen Dinge unterschieden sey. Malui autem ex multis aliis detorsionibus hanc inprimis adducere, quod hoc argumentum ad nostrum aliqua ex parte spectat. Sed redeo ad imputatam propter sensationes fatalem, necessitatem. Præter locum enim jam cit. ad §. 707. metaph. ubi continua perceptionum successio asseritur, l. c. thes. 6. p. 141. scribit: Da unser Herr Antor der Seelen in ihren Empfindungen eine solche Ordnung zuschreibet, so macht er sie zum automato, und spricht ihr alle Freyheit ab. Inaudita hæc sunt consequentiæ. Miror ergo, celeb. Dn. D. BVDDVVM huic etiam imputationi locum reliquisse, im Bedencken über die Wolffianische philosophie §. XI. p. m. 14. seq. ubi, postquam dixerat, ex mente celeb. Wolffii representationem mundi modo perceptionem esse, adeoque non actionem, sed passionem, pergir p. 15: vvelches, vwie es an schein höchst irriger Concept von der Seelen ist, so vvirld dadurch der Grund geleyet, die Seele aller Freyheit zu berauben. Quas imputationes qui perpendit, non mirabitur, omnes tandem patientiæ frenos celeb. Wolffio laxatos esse: quanquam tamen acerbissimum illud scribendi genus, quo virum, magnam doctrinæ famam inter eruditos consecutum, indignissimo plane modo excepit, nequaquam defendam. Hæc hactenus speciminis loco modo asserre volui,

ut



ut quibus inter alia argumentis a rever. Dn. Langio Spinosifimus celeb. Dn. VVolffio impactus, fatalisque necessitas tributa fuerit, ostenderem. Non aliter autem omnia Langiana argumenta, quibus eandem necessitatem viro celeb. tribuere satagit, comparata, omniaque Dn. VVolffii loca, hoc in capite, in alienum ab eodem sensum rapi, peculiari propediem tractatu, ut pote quem ad umbilicum fere jam deduxi, ostendam.

## §. XXIX.

Paulo fusior, nec tamen facile prætermittenda, hæc fuit digressio. Revertimur nunc ad argumenta, quibus perceptionum successio probatur; idque jam ordine *tertium*. Putant viri celeberrimi, harmoniæ præstabilitæ defensores, quod hæc ipsa successio ex situ etiam corporis in mundo pendeat, siquidem, animæ repræsentationes hoc ipso corporis situ limitari atque ita restringi, statuunt, ut illam solum anima referat mundi partem, quæ in sensuum corporeorum organis repræsentatur. Non opus est, ut eorum verba denuo hic repetam, cum modo prolixius recensita fuerint §. 24. Liceat mihi autem adversus hanc rationem, a celeb. etiam VVolffio multis in locis allatam, principium rationis sufficientis iterum urgere. Etenim anima suas ideas omnes ex se elicit ipsa, nullas extrinsecus recipit, ut denuo urgeam, quod ipse vir celeb. in adducto modo §. 819. expressis etiam verbis asserit. Hæc autem si certa sunt, quid quæso animæ interest, quemcunque corpus situm in mundo sustineat, aut quid hoc ad perceptionum, quæ in eadem fiunt, confert successionem? In DEO fateor rationem esse, cur ita ordinavit, ut anima ea solum repræsentaret, quæ extrinsecus in sensuum organa feruntur: fecit enim, quia alias harmonia inter mutationes corporis, in organis sensorii factas, & animæ perceptiones nulla servari poterat; sed in corpore ejusque situ nulla est ratio, cur ejusmodi solummodo repræsentationes in anima fiant, quales in corporis contingunt sensibus, siquidem corporis in animam nullus est influxus, adeoque ordo repræsentationum in corpore non potest causa esse ejusdem in anima ordinis atque successionis. In DEO autem solo alicujus effectus aut sententiæ physicæ, ipse non vult celeb. Dn. VVolffius, rationem esse quærendam, aut in ejus sola voluntate ponendam; & si vel maxime vel-

Itia exami-  
natur ra-  
tio.



let, recurrendum tamen ipsi esset, hoc in passu, ad eorum sententiam, qui causarum occasionalium systema defendunt. Quoniam enim ex ejus sententia DEVS vellet, ut illæ solum fierent in anima representationes, quæ sensibus se ingerunt, nec tamen sensuum in animam datur influxus, oporteret ipsum immediate DEVM, ad prævisam futuram in sensibus representationem mundi, ipsas animæ representationes in ejus creatione determinasse, adeoque occasione priorum posteriores ordinasse. Hoc modo intercederet discriminis, quod DEVS adhuc quotidie omnia, ex Cartesianorum mente, determinet, juxta celeb. VVolfii autem & illustri Leibnitii sententiam in prima jam omnia creatione determinasset. Sed quicquid hujus rei sit, sufficit, quod cum principio rationis sufficientis pugnet, siquidem in representationibus sensuum ipsiusque adeo corporis diverso situ, quoniam nulla ejusdem in animam datur operatio, quæri ratio successione perceptionum nequit, licet in DEO & quæri, & inveniri, si hoc systema amplecti quis velit, queat.

## §. XXX.

Alterum  
harmonia  
præstabili-  
tæ caput,  
quod loco  
motivam  
complecti-  
tur, enarra-  
tur.

Atque hæc quidem hætenus fuerunt, quæ de altero systematis harmoniæ præstabilitæ capite, quo animæ explicantur sensationes, de vera autorum systematis circa idem sententia, de sententiæ rationibus & fundamentis, monenda fuerunt. Jam ordo nos ad alterum ejusdem systematis deducit caput, quo motus corporis, qui ab anima ejusque decretis pendent, & in corpore ipso actu quotidie eduntur, novo itidem modo explicantur. Quemadmodum enim actionem corporis in animam, sic & vice versa, animæ actionem in corpus, negant, noluntque concedere, animam physico influxu vel unicum saltem, eumque levissimum, in corpore producere motum posse. Atque hoc commune hujus systematis defensores cum Cartesianis habent, quamquam ad alias quam hi, se recipiant, pro explicandis corporis moribus, rationes. Sumus autem hic eandem iterum ingressuri viam, quam in superioribus priorique systematis servavimus capite, exposituri prius veram autorum & defensorum, ipsorum verbis, sententiam, & eorundem deinceps adjecturi rationes, inquisituri etiam, quantum hoc loco fieri poterit, in easdem. Brevioribus autem nobis hic esse licebit, quod ea, quibus modum rei sibi impri-



imprimis celeb. Wolffius hic concipit, suaque in metaph. tradit, in subsequente demum dissertatione impugnatur, ejusdemque non difficultatem, sed impossibilitatem, physicis rationibus demonstraturi, quod speramus, sumus. Opus tamen erit, ut ante omnia mentem virorum celeb. hic repræsentemus. Putant scilicet viri celeb. corpus motu mere mechanico a circumfusis adjacentibusque corporibus, in sensuum ejus organa agentibus, moveri, ita, ut nulla alia hic sit causa agens, quam reliqua mundi corpora, nullus in corpore nostro oriatur motus, nisi ex alio motu antecedente. Mundum enim ad instar machinæ sibi concipiunt, aut horologii, quo simili celeb. Wolffius sæpius utitur; corpora mundana ad instar rotularum, quarum altera ab altera, postquam omnes a primo motore fuerunt in motum redactæ, pellitur atque movetur. Ad hæc corpora mundana ipsum corpus humanum referunt, adeoque idem eodem, ac reliqua, modo agitari, pelli, moveri, statuunt. DEO autem ejusque præstabilitioni esse tribuendum, quod corpora nostra a reliquis, in sensus nostrorum agentibus, ea semper ratione moveantur, ut motus ejus perpetuo liberrimis animæ nostræ respondeant decretis. Præcivisse enim illum, infinita sua pro scientia, qua non solum omnia, quæ in hoc mundo sunt, sed fieri etiam potuissent, si aliud rerum, quam est, debuisset existere nexus, (id quod alium mundum celeb. Wolffius, ea, qua philosophi gaudent in determinandis vocabulorum significatibus, libertate utens, appellat,) quid singulis fere momentis anima decretura, quid desideratura a corpore suo esset, quales pro summa sua libertate producere conatur motus, adeoque ita determinasse omnia, ut, quanquam corpus nostrum ab aliis eidem circumstantibus & in ejus sensus operantibus corporibus movendum esset, motibusque adeo suis resistere nunquam posset, hi ipsi tamen motus, in se licet hypothetice necessarii, liberrimis semper responderent animæ decretis desiderariisque, adeoque, quanquam necessarii sint *ratione corporis*, liberrimi tamen *ratione animæ* maneant. Atque sic operam dant, ut non solum motus corporis, secundum leges motus, mechanicoque modo explicent, sed ita etiam explicent, ut facta tectaque maneat animæ libertas. Atque sic in genere de motibus corporis differunt, de specialioribus motus ejusdem generibus, v. c. motu pedum, manuam,



manuum, inprimis linguæ atque oris, speciales adhuc afferentes, in generalioribus hisce licet fundatas, rationes.

## §. XXXI.

Idem ver-  
bis illustr.  
Leibniti  
& celeb.  
Wolffii  
confirma-  
tur.

Non sufficit autem hæc omnia dixisse, sed probasse in-primis opus est, ne aliena quis & menti horum virorum adversa a nobis hic afferri putet. Ipsum ergo illustr. LEIBNITIVM & celeb. WOLFFIVM pro illis quæ allata hactenus sunt, confirmandis, denuo adducamus. Ita autem scribit illustr. LEIBNITIVS in *Vto adversus Clarckium scripto* §. 92: daß GOTT, nachdem er vorhergesehen, was ein nach der Freyheit wirkendes Wesen thun würde, seine machine (intelligit autem corpus organicum) gleich anfangs so eingerichtet und verfasset habe, daß sie mit den Wirkungen des freyen willens unfehlbahr zusammen stimmen müsse. Quæ ipsissima fere illa verba sunt, quibus §. anteced. in explicanda hac sententia usus sum. Idem autem vir illustris denuo adversus Bailium, rei hujus possibilitatem negantem, affirmat, in *respons. anti-Bailianis* p. 66. not. 12. ubi: GOTT erkennet, inquit, die zungfahm eingeschränckte Anzahl alles desjenigen, was der Mensch will: und er hat das Vermögen eine machine zu machen, welche seinen Willen auszuüben geschickt ist. Utrumque autem systematis sui caput vir illustr. conjungit, conjunctimque, brevissimis licet, explicat *monodol.* §. 83. qui ita habet: Vermöge dieses systematis geschicht es, daß die Körper eben so wirken, als wenn, unmöglichen Falls, gar keine Seelen wären, und daß die Seelen ihre Wirkungen verrichten, als wenn gar kein Körper vorhanden wäre: und daß beyde auf solche Art agiren, als wenn das eine einen Einfluß in das andre ausübete. Pertinet huc etiam simile, superius jam ex *respons. ejus anti-Bailianis* adductum, quod de musico dedit, qui certis stasisque diebus atque horis templum, aut ædus musicos, frequentat, libros musicos evolvit, determinatas eo tempore tabulas musicas sibi proponit, veros & ad symphoniam necessarios tonos vel voce, vel instrumento musico, exprimit, omniaque, quæ ipsi peragenda incumbunt, peragit, præterquam ut anima vel unicum solummodo corporis ipsius membrum moveat, aut quocumque influxu physico ad ejus motum concurrat. Clarius tamen, aut uberius saltem, hæc omnia adhuc a celeb. Wolffio in *ipsius metaphys.* proponun-



ponuntur. Machinam mundum esse, expressit ille verbis asserit §. 557. hominumque corpora partes mundi, alio loco, esse, scribit, eo quod ad corpora mundi pertineant. Moveri autem corpora nostra non ab anima nostra, sed ab aliis corporibus, in sensuum nostrorum organa agentibus, clarissimis verbis asserit vir celeb. §. 778: *was nun den Leib, inquit, betrifft, so ist wahr, daß eine subtile Bewegung in den Gehirn vorgehet, wenn die Empfindung in der Seelen geschiehet: denn die Bewegung, die den nerven in den Gliedmassen der Sinnen eingedrückt wird, wird bis zu dem Gehirn fortgestautet. Und die einmahl dasselst in Bewegung gesetzte Materie bevrveget sich in Nerven, die zu andern Gliedmassen des Leibes gehen, und verursacht dasselst ihre Bevrveegung, die dem Wollen der Seelen gemäß ist.* Post hæc vero in proxime subsequente §. 779. ita pergit: *auf solche Art folgen alle Bevrveegungen des Leibes aus der Art der Zusammenetzung, das ist, aus seinem Wesen (§. 611.) und durch seine Kraft, das ist, durch seine Natur (§. 628.). NB. aus den Bevrveegungen anderer Körper, die Veränderungen in den Gliedmassen der Sinnen veruhrfachen &c.* Addi meretur §. 780: *Hieraus erbhellet, daß alle Bevrveegungen in dem Leibe auf eben die Art sich äussern würden, wie jetzund geschiehet, wenn gleich keine Seele zugegen wäre, indem die Seele durch ihre Kraft nichts dazu beyträget, & tandem §. 781. sub finem: der Leib wird von aussen von andern Körpern zu seinen Bevrveegungen determiniret, denen er nicht wiederstehen kan, und seine Bevrveegungen folgen aus jenen, wie es sein Wesen und seine Natur mit sich bringet: er hat keinen Verstand zu erkennen und zu überlegen, was geschicht, auch keine Macht, etwas zu ändern, sondern muß alles geschehen lassen, was und wie es geschicht.* Imo dat operam in subsequentibus vir celeb. ut omnes motuum species, qui in corpore & per corpus fiunt, ex his principiis explicet. Sic v. g. §. 856. seq. explicare vir celeb. incipit, quomodo hoc modo, suaque juxta systematis principia, non verba solum corpus facere, sed ratiocinia etiam, syllogismos, ornatos atque bene compositos sermones, imprimis autem vocabula abstractivorum conceptuum, qui in sensus non cadunt, eloqui queat; §. 840. autem, quomodo ad cogitationes



nes animæ ejusmodi verba, quæ easdem expriment, proferri possint, ita ut eo proferantur tempore, quo anima eadem proferri cupit. Quæ tamen omnia, quoniam nullis aliis rationibus, quam quibus primaria adversus hoc systematis harmoniæ præstabilitæ caput argumenta includuntur, atque quibus impossibilitatem hujus ipsius systematis in dissertatione subsequenti evincere annitar, refelli possunt, disquisitionem eorundem ad hanc ipsam dissertationem differam. Id enim in hac modo agere volui, ut defensorum hujus systematis mentem, ipsamque adeo systematis faciem, distincte repræsentarem, in simul autem, quæcunque in fundamentalibus systematis positionibus desiderari poterant, adjecturus. Atque hæc in præfenti dissertatione, ni fallor, assecutus sum. Quod enim nihil adversus postremi hujus systematis capitis fundamenta monendum habeam, ratio est, quod in genere, corpus a corpore moveri posse, imo actu moveri, negari nequit. Non posse autem ex generalibus hisce principiis omnes corporum nostrorum motus deduci, ad illa argumenta pertinet, quibus in subsequentibus adversus hoc systematis caput erit pugnandum.

## §. XXXII.

Non tollitur ea sententia, qua juxta systema h. p. motus corporis explicantur, hominis aut animæ libertas.

Id unicum modo, antequam hinc discedam, adhuc erit monendum, non introduci hac sententia fatalem necessitatem, nec animæ hoc ipso, quod corporis actiones necessariae esse dicuntur, suam denegari libertatem. Deduxi hæc equidem jam alio in loco, in dicto scilicet tractatu, cui titulus de *harmonia rerum omnium in mundo præstabilita*, erit, qui lucem prope diem publicam aspiciet, utpote in quo fuscè demonstrabo, præter meritum celeb. Wolffio fatum Stoicum, necessitatem fatalem, Spinosisimum ipsum, &, nescio tandem, quid non? obtrudi, omnesque has imputationes ex neglecto vero verborum ejus sensu esse exortas; causa mihi tamen est, cur & hoc loco paucis ea tradenda censeam. Loca autem Wolffiana, ex quibus hæc imputationes eliciuntur, illa potissimum sunt, in quibus corporis motus necessarii esse dicuntur. Vidimus jam ejusmodi locum §. antecedente ex *metaphys.* §. 781. adductum; jungimus impræfentiarum alium. Ita enim legimus §. 884. *Es*

*ist*



ist freylich wahr, daß der Leib von aussen, nemlich von denen Dingen, welche in die Gliedmassen der Sinnen würcken, zu seinen Bewegungen determinirt wird, auch denen Bewegungen nicht widerstehen kan, sondern sie nothwendig hervor bringen muß. Vnd auf solche VVeyse sind auch die Bewegungen, die man vor freywillige hält, dadurch nemlich das Verlangen der Seelen erfüllet wird, in dem Leibe nothwendig. Duriora hæc, fateor, videntur, sed illis solum, qui vel verba extra contextum totius systematis carptim atque frustulatum legunt, vel non omnia, quibus duriora illa insperguntur, juxta autoris mentem, & prout systematis nexus postulat, intelligunt. Vnde videas, apud DN. LANGIVM passim ex his verbis fatalem, quam sibi in celeb. Wolffii scriptis invenisse vir reverendus videtur, necessitatem denuo inculcari viroque celeb. imputari. Sed salva, dummodo omnia rite perpendantur, res est. Tolleretur, fateor, omnis animæ libertas, si vir celeb. assereret, animam a motibus aliorum corporum determinari, quibus resistere nequeat, nec superesse animæ facultatem, ut, quando ab aliis suum, quod inhabitat, immediate cingentibus corporibus impellatur, impetum eorum eludere, motusque evitare queat, sed necessario eosdem omnes producere: uti & motus animæ liberos, quibus scilicet animæ expleantur decreta, in ipsa anima necessarios esse, quemadmodum illa omnia locis allegatis de corpore asserit; sed cum de corpore hæc solum, non anima, affirmet, extra periculum omne posita est animæ libertas. Quemadmodum enim animæ libertas nihil exinde detrimenti capit, quod Deus omnia ejus desideria, cogitationes, volitiones, decreta aliaque omnia prævidit: sic & eadem nihil exinde incommodi patitur, si DEVS, juxta hanc prævisionem, machinam corpusque mechanicum condidit, cujus motus atque modificationes omnes ita determinavit, ut, quanquam in se necessariæ sint, atque ex structura partium mechanica inevitabiliter sequantur, ita, ut machina resistere illis nulla ex parte possit, liberrimis tamen eadem semper animæ decretis desideriisque respondeant? Quid enim illud ad animam, quod motus illi necessario fiunt? Sufficit, quod intuitu animæ liberæ sunt & manent, quod ejusdem liberrimis satis decretis faciunt iisdemque respondent. Non potest res omnis melius illustrari quam

I

simili



simili illo, quo celeb. ISAACVS JAQVELOTVS in *actis erud. Lipsi. anno M D CC V. p. 554.* utitur. Supponit ille ibidem, dari mechanicum aut artificem, qui alterius cujusdam cogitationes prævidere queat, adeoque scire, quid idem ille postero die suo mandaturus sit famulo: supponit porro, posse eundem machinam aliquam fabricare, quæ omnia heri exsequatur iussa: facturam tum, pergit, machinam illam omnia ex naturæ necessitate, non posse illam aliter, quam facit, operari, nec alios, quam ad quos ab artifice determinata est, edere motus. Quid autem exinde incommodi sentit, aut quam iacturam heri facit libertas, quod artifex ille omnes domini cogitationes prævidere, atque machinam parare potuit, quæ liberrima ipsius exsequeretur iussa. Hoc enim simile omnibus hic litibus et disceptationibus finem imponere poterat, dummodo non animi, affectibus abrepti, disputationis hujus ingrederentur arenam, aut cum ejusmodi semper viris philosophis res esset, quos, rationibus convictos, se errasse non puderet, quique non semper, quæ male asserta sunt, pessime potius defendere atque mordaciter tueri, quam veritati semel a se impugnata locum relinquere, seque ea in re a vero declinasse, fateri mallent. Amplectuntur hoc JAQVELOTI simile LEIBNITIVS in *tentamin. Theodic. §. 63. p. m. 248.* & celeb. WOLFFIVS in *commentat. lucul. §. 21. p. 66. seqq.*

## §. XXXIII.

Continuat  
tur idem  
argumen-  
tum.

Id modo offensioni adhuc esse poterat, quod celeb. Wolffius cit. §. 884. expressis verbis scribit: *und auf solche weise sind auch die Bewegungen, die man vor freywillige hält, dadurch nemlich das Verlangen der Seelen erfüllt vviird, in dem Leibe notwendig.* Sed his verbis qui offenditur, non perpendit additum: *in dem Leibe.* Non enim simpliciter vir celeb. motus animæ necessarios esse asserit: manifesta enim alias esset, ipsique in terminis, contradictio, siquidem iidem motus necessarii, & tamen simul liberi, dicerentur; sed illos motus, qui intuitu animæ liberi dicuntur, quod liberrimis animæ decretis exactissime, qua tempus, modum aliasque circumstantias omnes, respondent, in corpore, & seorsim aut in se consideratos, necessarios modo esse affirmat, quod ex necessitate naturæ ipsius consequantur, atque in mechanissimo ejusdem sint fundati. Quemadmodum  
au-



autem in Jaqueloti exemplo motus, qui liberrima heri mandata explent, in ipsa machina sunt necessarii, ita, ut facta tamen, salva tectaque ipsa imperantis maneat libertas; sic & illi motus corporis, qui intuitu animæ ejusque decretorum liberrimi sunt, in corpore ipso sunt necessarii, illæsa animæ libertate. Deus enim, cujus præscientia & ex communi omnium consensu, & ex rei ipsius veritate, nullam rebus infert necessitatem, prævidit, quicquid cogitatura, quid desideratura hoc, illo, alio tempore, anima esset. Paravit ergo sua pro sapientia machinam, ejusque motus ita determinavit, ut perpetuo cum desideriis & decretis animæ convenirent. Quanquam autem hi motus, in se spectati, necessarii sunt, libertas tamen animæ eo ipso non læditur: sufficit enim, quod Deus actus motusque hos machinæ necessarios ad perpetuam cum volitionibus animæ alligavit harmoniam, imo, in determinandis machinæ hujus motibus, animæ semper libertatem ante oculos quasi habuit, eidemque hos ipsos motus accommodavit. Qui ergo, quæso, animæ tollitur libertas, quod motus corporis eidem a Deo artifice accommodati, atque post hanc factam accommodationem demum necessarii in corpore facti sunt? Cum enim hi ipsi motus in animæ fundentur, saltem intuitu Dei præstabilientis, libertate, eandemque, intuitu ejusdem determinantis Dei, tanquam unicum suum fundamentum supponant, non possunt id, quod supponunt, & ex quo ipsi, in divina saltem præstabilitione, consequuntur, evertere. Nullo ergo modo implicat, necessarios esse motus intuitu corporis, intuitu tamen animæ liberos, imo liberrimos, eosdem manere. Explicat id ipsum etiam, modumque, quo cum motibus corporis necessariis animæ libertas consistere queat, in *metaph.* sua celeb. WOLFFIUS tradit §. 884. & 885. sed brevius saltem, forsan, quod vir celeb. non putavit, fore, qui controversiam ea de re ipsi moverent, nedum qui Spinosismum necessitatemque Stoicam atque fatalem eidem propterea obruderent, hisque doctrinis omnis moralitatis atque religionis non revelatæ solum, sed ipsius etiam naturalis, fundamenta omnia everti, conquerentur. Unde & pauciora modo sunt, quæ applicationis gratia attulit in *commentar. Lucul.* §. 21. p. 67. seq. & §. 22. p. 71. Postquam autem vir celeb. vidit, ad primum hæc



accusationis argumentum rapi, pluribus mentem suam, ipsamque simul rem, explicavit, demonstrando simul, nec doctrinæ morali noxium hoc dogma, nec revelatæ aut naturali religioni inimicum esse, in *deven Anmerkungen über die Vernünfft. Gedanken &c. p. 231. seq. & p. 236. seq.* prolixissime autem omnium p. 415. ad §. 701. ubi simul evincit, systema harmoniæ præstabilitæ hypothesin mere philosophicam esse, cui sententiæ, quemadmodum & supra jam monui, & ego accedo. Frustraneus ergo est omnis rever. Dn. LANGII labor, quando ex hoc dogmate in *modesta sua disquisit.* ipsoque recentissimo scripto: *die Entdeckung*, nescio quas, periculosas consequentias deducit. Judicabit facile id æquus rerum censor ex illis, quæ modo dicta sunt: ad objectiones tamen rever. viri, quemadmodum jam promisi, alio loco, quid sentiam, exponam, quidque roboris illis inest, ostendam. Denuo ergo miror, celeb. Dn. D. BVDEVM iterum hic cum rever. Langio consentire, siquidem *im Bedencken p. m. 13. seq.* putat, his Dn. Wolffii dogmatibus omne imputationum fundamentum tolli; quod quomodo ex illis sequatur, cum juxta liberima animæ decreta corporis motus determinati esse dicantur, nondum video. Multa ergo hic ab adversariis Dn. Wolffii affirmantur, quæ probata non sunt, nec probari poterunt. Volui autem hæc hætenus eum modo in finem asserere, ut rationem reddam, quare inter argumenta, quibus in sequenti dissertatione adversus systema harmoniæ præstabilitæ pugnaturus sum, hoc, quod a fatali necessitate, ab everfis religionis & doctrinæ morales fundamentis, a sublatis e medio imputationibus &c. petitur, non sit compariturum.

T A N T U M !













Ke 2619

1077


ULB Halle 3  
002 688 700




s. 6.











DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
PRIOR  
DE

# HARMONIA

INTER  
ANIMAM ET CORPVS  
PRAESTABILITA

*EX MENTE ILLUSTR.*

GODOFR. GVILIEL. LEIBNITII

ET CELEB.

CHRIST. WOLFFII

*QVAM*

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM

IN ILLUSTR

ACADEMIA VITEMBERGENSI

ORDINE

PRO LOCO

INTER EIVSDEM ORDINIS ASSESSORES VINDICANDO

*A. O. R. MDCCXXIV. DIE XXV. MAII*

IN AVDITORIO MAJORI

DEFENDENT

PRAESES

M. SAM. CHRIST. HOLLMANN

ORDIN. PHILOS. ASSESS.

ET

RESPONDENS

JEREMIAS SCHOLZE

DEVTMANSDORP. SILES. S.S. THEOL. STVD.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.